
DOMINICI LUDOVICI
E SOCIETATE JESU
CARMINA,
ET
INSCRIPTIONES.
OPUS POSTHUMUM.

PARS PRIMA.



NEAPOLI, CIↃ IↃCC XLVI.
Apud Petrum Palumbum.
SUPERIORUM PERMISSU.

Applicatus cubiculo Magistri Humanitatis colleg: Neap: Soc: Jes:



EXCELLENTISS.mo, AC REVERENDISS.mo DOMINO

NICOLAO
SPINELLO

EX PRINCIPIBUS SCALEÆ, &c.

EPISCOPO AVERSANO

JOANNES, AC DOMINICUS SPINELLI, e Soc. Jeſu.

MUlta nos, NICOLAE Præſul ampliſſime, eaque non levia impulerunt, ut Opus hoc Poſthumum DOMINICI LUDOVICI & proferremus in lucem, &, quo honeſtius prodiret, tuo potiſſimum nomini inſcriberemus. Profecto, quod ipſi lucubrationum harum tueri memo-

memoriam , eaſque typis quam primum commendare conati ſumus , in hoc , pro eo fecimus , ac debuimus . Viro ſiquidem optime de nobis merito hanc retulimus gratiam, ut noſtræ aliqua pars induſtriæ in ea gloria ſit, quam exinde ejus nomini , pervulgata parte hac perexigua eorum , quæ elegantiſſime ſcripſit, confidimus acceſſuram. Neque enim ii ſumus , qui obliviſcamur umquam , quanta nos , dum viveret , caritate complexus ſit : ac jam inde complexus , cum in Sodalitatem Jeſu adlecti , viam ingreſſi ſumus, quam ad ſalutem , divino lumine colluſtrati , expeditiſſimam eſſe cognovimus . Præbuit ille ſe nobis ejus viæ ducem , ac religioſæ vitæ inſtitutorem ; matureque virtutum ſemina animis indidit , quorum uberrimus eſſet fructus, si, quo ſtudio, ac labore indita , ea demum felicitate comprehendiſſent . Ex illo, quæ noſtræ erant partes, ſtudioſe eum colere, ac parentis loco habere cœpimus . Atque ut ingenui , rectique homines, vel dum ætate provectiores ſunt , obliviſci tamen minime ſolent , eorum gratiam , a quibus geniti , ac nutricum etiam ipſarum, a quibus aliti olim fuerant ; ſic numquam deinde deſtitimus amare virum, a quo melioris cujuſdam vitæ primordia accepimus , ac ſincero veluti , amanterque præſtito pietatis lacte fuimus enutriti. In hoc itaque noſtro curandæ editionis con-

ſilio,

ſilio , primum laudabunt nos boni omnes; quod eos imitemur, qui cum innumera a viro aliquo acceperint beneficia, cui nihil ipſi, non quod animus, ſed quod occaſio deerat, viciſſim rependerint, debitum illud omne, ſuamque benevolentiam in ſuperſtitem ejus prolem convertunt. Laudabit nos deinde Societas noſtra, cujus obtrectatoribus aliquid legendum offerimus, unde intelligant (quod ipſum tamen ex aliis bene multis intelligent, ſi modo velint) in ea non ſeveriores modo diſciplinas, ſed amœniorum quoque ſtudia litterarum vigere etiam nunc, accurateque excoli; ac feliciter provenire. Laudabunt nos denique, multumque amabunt quicunque ætate hac noſtra, atque hac in Urbe potiſſimum, guſtum aliquem incorruptæ latinitatis percipiunt, atque in amoribus, ac deliciis Poeſim habent; quibus parum viſum fuit, editionem hanc votis omnibus concupiſcere, niſi etiam aperte, inſtanterque flagitarent.

Jam vero, cum de Principe aliquo viro cogitaremus, cujus amplitudo nominis huic operi, tum ad præſidium, tum etiam ad ornamentum prætenderetur, non opus fuit anxia, ancipitique deliberatione. Animum in Te ſtatim, mentiſque aciem convertimus: primoque ipſo intuitu, digniſſimus viſus es, ad quem ſuperſtites iſtæ Auctori ſuo lucubrationes,

tiones inſtituerentur . Nam , ſi adjungenda illis dignitas erat , ſi comparanda gratia , ſi auctoritas concilianda ; quonam hæc uberius ex fonte derivari oportuit , quam ex ejus viri patrocinio , in quo egregiæ naturæ dotes ſplendidiora efficiunt ornamenta virtutum, atque hæc viciſſim illas , pulcherrima quadam nitoris ac lucis communicatione, quemadmodum in gemmis fit , augent atque illuſtrant? Neque vero hoc nos in loco quicquam de Familiæ , Gentiſque tuæ præſtantia attingimus : tum quod ad ejus gloriam acceſſio aliqua fieri , vel ſi cujuſpiam oratione poſſit, noſtra tamen minime debeat; tum quod nobilitate generis, opibus , copiis , ceteriſque hujuſmodi inferioris notæ bonis , cenſeri Te minime patiaris , qui in cenſum alium longe præclariſſimum inde ab adoleſcentia tranſcriptus , ejus vitæ inſtitutum profeſſus es, cujus tota eſt e ſacris diviniſque rebus , & quaſi e Cælo arceſſita nobilitas . At , quamquam commutato veluti cultu , abjectiſque inſignibus, ſplendorem illum originis tuæ diſſimulare ſtudeas ; emicat ille tamen , ac ſeſe apertiſſime prodit morum indiciis . Si enim præſtantis animi , ac nihil humile molientis celſitudo , ſi humanitas indolis ſuaviſſimæ, ſi candida , atque ab omni prorſus fuco abhorrens ſimplicitas, viris honeſtiſſimo loco natis, prærogati-

rogativa quadam ſanguinis , ingenita eſſe ſo- lent ; cum hæc in Te omnia ſatis manifeſte, ac luculenter eniteant , jam , quo ſis loco natus , illi etiam intelligent , ſi qui ſunt , qui nihil de majoribus tuis aliquando audiverint. Atque ita quidem præparaſſe Natura animum viſa eſt, poſito veluti quodam , inſtratoque ſolo , in quo graviorum deinde virtutum inædificari moles poſſet , atque apex ille erigi Chriſtianæ perfectionis , qui virum deceret eo loci , ac muneris provehendum , unde , continentia vitæ, atque intaminata quadam innocentia ceteris præiret . Etenim ſi in optimo ſanctiſſimoque Antiſtite , non modo labes ineſſe nulla , ſed ne illa quidem, quæ recta ſunt , atque honeſta , mediocria eſſe debent ; eſt , quod Te ſibi Pontificem Averſana iſthæc florentiſſima Diœceſis obtigiſſe gratuletur , in quo neque ulla ex parte ab ſanctitate nominis alieni mores , neque impar eſt graviſſimo muneri vigilantia . Te iſthic ſacrorum Præſide , ac Religionis Aſſertore , accurata morum inſtitutio , arceſſita Templis nitore , ac frequentia majeſtas, Chriſtianæ pietatis exercitationes , tum quæ populo, tum quæ nobilibus viris, pro conditionis , ingeniique diverſitate conveniant : ſtudia demum omnia vigent , atque effloreſcunt, quorum alia indicia ſunt excultæ virtutis , alia ad excolendam incitamenta . Te Patro-

no,

no , ac Parente , ſuam egentes , ac miſeri homines conditionem minus dolent ; ſi tamen dolent , aut ſentiunt aliquando , cum non effuſa modo ſis in eorum calamitatibus relevandis beneficentia , ſed pervigili etiam , atque intenta in veſtigandis , inquirendiſque ſedulitate . Te Auctore , atque Auſpice , & optimæ conſtitutæ ſunt leges, & utiliſſima tradita ratio juventutis erudiendæ ; ejus præſertim , quæ in Cœtu , honeſtiſſimoque Convictu , in eum uſum excolitur , ut inde ſurculi ex aliis alii ſumi poſſint , quibus ager omnis Averſanæ Eccleſiæ, lætiſſima quadam ubertate , perpetuo revireſcat . Jam vero prudentiam tuam , rerum uſum , acerrimum legum tuendarum ſtudium , ceteraque rite inſtituti regiminis, atque integerrimæ auctoritatis præſidia ſilentio præterimus . Ampliora iſta ſunt , quam ut epiſtola contineantur. Excurrat enim oratio neceſſe eſt, longeque excurrat, ſi eorum, quæ huc ſpectant, ſumma ipſa capita attingi debeant atque exempla commemorari, partim recentia , partim remotiora, ejuſque temporis , dum Firmum regeres , nobiliſſimam Anconitanæ Regionis partem, ac dum Romaniolæ Præfecturam Legati vice , ſumma cum laude obtineres . Quæ omnia , ſi quis fortaſſe a nobis ad gratiam dici , Tibique plus aliquid tribui arbitretur , quam quan-

quantum jure ſit tribuendum; ille, modo tecum verſari aliquandiu velit, & res a te geſtas, ac totius vitæ rationem coram inſpicere, omnem ex animo abjiciet aſſentationis ſuſpicionem: Teque intelliget parce a nobis, ac timide laudari, quemadmodum ii faciunt, qui non tam ſoliciti ſunt, quid eorum, quos laudant, dignitas exigat, quam quid verecundia patiatur.

Hoc igitur ad Te opus, Præſul Excellentiſſime, non tam conſilio ductuque noſtro dirigitur, quam ſponte accedit; neque enim vereri poteſt, ne aditu prohibeatur, quem ſibi ampliſſimum, per virtutes nimirum tuas, patere intelligit. Tu illud, quod eſt indolis tuæ, excipies humaniſſime; ac benevole, amanterque complecteris, hoc etiam nomine, quod Auctorem habeat ejus Familiæ virum, quam tibi univerſam eximia benevolentia, beneficiiſque prope innumeris devinxiſti. Nec dubitamus præterea, quin ſit aliqua etiam apud te gratia huic muneri acceſſura, quod noſtris manibus offeratur. In quos enim multa, & egregia contuliſti paternæ caritatis officia, ab his libenter agnoſces aliquod tibi obſervantiæ, gratique animi pignus viciſſim reddi. Tibi a Deo Opt. Max. impenſe petimus, ut ea vitæ acceſſio fiat, quæ noſtris votis; ea ve-

ro

Digitized by Google

ro ſplendoris , ac dignitatis , quæ præſtantiſſimis tuis in Chriſtianam Rempublicam meritis , hominumque expectationi reſpondeat . Tu nos interim , ac Societatem noſtram , quod jam diu facis , vehementer ama . Vale . E Collegio Neap. S. J. Kal. Nov. AEræ vulgaris An. CIƆIƆCCXLVI.

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI



Nicol. Morena pinxit *Ant. Baldi sculp.*

DOMINICI LUDOVICI
E SOC. JESU
V I T A.

DOMINICUS LUDOVICI, vir non modo Religioſæ virtutis laude, ſed gravioribus juxta, & amœnioribus hiſce litteris hac ætate apprime clarus, natus eſt in Veſtinis VIII Idus Decembres anno poſt Virginis partum CIↃIↃCLXXVI, in oppido quod Terminum hodie appellant, ab Aquila Urbe octo fere paſſuum millia: quod ex eorum numero eſt, quæ complura ex Amiterni ruderibus, Urbis olim Criſpi Salluſtii natalibus inſignis, annorum progreſſione excitata ſunt. Parentes habuit Martinum Ludovici, & Philippam Farinelli, honeſto apud ſuos genere; qui ad omnem probitatis formam a teneris eum inſtituerunt. Eminuitque in puero ſtatim præclara virtutis indoles, atque ingenii docilitas. Itaque cum Aquilam eum ad propinquos ſtudiorum cauſſa miſiſſent, ibique latinæ linguæ rudimenta poneret apud Patres Societatis Jeſu, tam cupide arripere cœpit quæcumque tradebantur, ut pro ludicris jocisque, quorum gu-

1 Pueritia, & prima inſtitutio.

ſtum id ætatis jam prope omnem exuerat, libros unice tractare vel ſuper menſas ipſas conſueverit. Inter hæc prima grammaticæ ſtudia, quod ipſemet alteri jam ſenior aperuit, nova quadam luce ſenſit ſibi collustrari mentem, qua, veluti diſcuſſa interioris caliginis nebula, ſimul percipere ſtatim, firmiterque memoria complecti quicquid audiret in ludo; ſimul id beneficii a Deo ſibi impertiri, inque ejus gloriam unius ab ſe conferendum eſſe intellexit. Neque ea documenta gratiæ, ſimplicem animum tempeſtive præeuntis, fruſtra fuere. Ut enim præ ceteris ætatibus accipere cœleſtes ſatus pueritia, tamquam purum ſolum, optime conſuevit; ſic in ejus pectore, nulla dum pravarum cupiditatum enata ſtirpe, divinum gratiæ ſemen facile coaluit. Jamdiu Dominicus non modo pravas, aut ſuſpicioſas, ſed omnes admodum conſuetudines æqualium devitabat, ſeceſſum a turba, quoad poterat, avide conſectans. Eximia oculorum compoſitio, habituſque modeſtia; ingens in Deum, Superoſque ſtudium pietatis; præter itinera quarundam AEdium ſacrarum, ludique litterarii, cetera fere ignorabat: in ludo autem ubi conſediſſet, ita ſolitum oculos defigere in codice, ut nuſquam deinceps averteret, ejus Præceptor affirmat: qui intercurrebant vacationum dies, eos ita exigebat, ut partim in Templo, partim in privatis ſtudiis inſumeret. His moribus cum Dei ſuperne vocantis afflatus accederet, in animum paullatim induxit, nuntium terrenis rebus remittere, ac Societatem Jeſu ingredi, ubi vitam ad Dei ſolius laudem, rerumque æternarum rationem referret.

At

At ſalutari conſilio intelligebat patrem refragaturum, qui magnam ſpem in filii probitate atque induſtria collocaſſet, eumque mirifice deamaret. Itaque eam deliberationem ſtatuit clam omnibus habere, ac tacitis interim precibus apud Deum, Cœliteſque urgere rei exitum. Donec anno ætatis quinto decimo nihil prolatandum ratus, uni atque alteri, quorum juvari conſilio & ope poterat, rem ſecreto aperuit; rogavitque enixe, ut quando bona cum venia parentum excedere ſibi minime liceret, unde jamdudum evocabatur a Deo, darent ſibi hanc operam, fugamque apud ſe omnino conſtitutam adjuvarent. Præfervidus, obfirmatuſque animus, & moræ omnis impatiens, in tanta præſertim indolis lenitate, fidem ſui fecit, injectamque divinitus mentem, remque omnem perſuaſit. Decedebat per eos dies Aquila, ubi magiſtratum geſſerat, Provinciæ Præſes, vir in paucis probus, & Societatis Jeſu ſtudioſiſſimus. Hujus auctoritati commendandum eſſe adoleſcentem in eo itinere viſum eſt: quod ille, ut Societati gratificaretur, perhumaniter in se recepit. Itaque inſalutatis conſanguineis, condicta die ſe dat in viam Dominicus, datis antea litteris, quæ patri redderentur se digreſſo, multo certe gravioribus, quam ut ab adoleſcente ſcribi putarentur: quarum exemplum, quod ad me tranſmiſſum eſt, hîc intexendum putavi: eſt vero hujuſmodi: *Divinis ſcilicet nutibus obſiſtere nihil mortale umquam poſſe: interim ſtultum eum juxta fore ac miſerum, qui iis rebus indoleat, quæ adverſæ ac truces in ſpeciem, reapſe opportunæ ac ſalutares, Deo prorſus jubente adminiſtran-*

II Vocatio in Societatem.

III Clandeſtina fuga, & ad Patrem litteræ.

tur. Hæc ſi parens optimus reputet, ſimulque finem illum cujus unius gratia conditi ſumus, fore, nullum ut animo dolorem capiat, quod ipſe fluxas nugaceſque mundi illecebras calcans, Deum ſequatur ducem, tutius certiuſque iter ad cæleſtia oſtendentem. Quid enim? vel ſpe aliqua prius injecta, ejus dolorem incendi; quæ autem ſpes domi ſe melior oſtendat, quam in religioſa familia? vel amore potius; neque eum putari amorem poſſe, qui a divinis ad terrena revocet, Deique juſſibus reluctetur. Tum vero honeſtiſſimum parenti eſſe, qui filium dein habeat ſub Societatis clariſſimæ vexillis merentem, quæ ſors cupientibus multis minime obtingat: cum contra in maximo verſetur diſcrimine, qui vocanti Deo nolit eſſe morigerus, quod quotidiana pæne exempla docent. Eas ob res nullam eſſe mæroris cauſſam, gaudii multas, ſi id denique conſilium ſequatur, quod tacitum antehac voluerit, ne patefactum divinæ ultionis in ſe, in ſuos provocandæ occaſio foret. An verò dolendum homini eſſe de rebus optimis, quod eas deterrimas falſo putet? Sibi itaque abeunti, pro eo qui patrem decet amore ac ſtudio, bene precetur. Deo cetera committat. Hæ litteræ patris animum magnopere perculerunt: miſſoque protinus qui filium ex fuga omni ope reduceret, cum is poſtero die Dominicum conſecutus vim etiam inferre pararet, præſto fuit Præſes in tempore, hominemque pro poteſtate increpitans, eodem unde venerat redire ſtatim juſſit; trepidum adoleſcentem ſecum tulit in lecticam, & Capuam uſque felici itinere perduxit.

IV Cum Patre congreſſus, & certamen.

Hîc vero, ubi prope defunctus periculo ſibi videbatur adoleſcens, diſcrimen ſubire

maxi-

maxime anceps debuit. Vix enim in Collegium Societatis exceptus, repente monetur, Patrem adventaſſe, ac fugitivum repoſcere. Is nempe dolore amens iraque, equis ſubinde commutatis iter ingreſſus, filium aſſecuturus pridem fuiſſet, niſi moram properanti injeciſſet capitis dolor immitis, quo progrediens acriter quotidie conflictaretur; reditionem vero molienti repente diſcutiebatur. Sed pervicerat tamen paternus amor: & quamquam eo velut indicio cæleſtem ſummi Numinis nutum ſenſerat, ſe a propoſito abducendi filii deterrentem, Capuam tamen ingreſſus, adoleſcentis colloquium petiit. In re ancipiti dubitantibus ceteris, adoleſcens unus congreſſum ſe minime defugere inquit, modo ut vis omnis abeſſet; ac tres ferme horas ſolus in conclavi paterni doloris vim ac vocem tam immoto vultu excepit, iiſque rationum momentis ſenſim ac blande retudit, ut effuſus in lacrymas denique parens, filiumque amanter exoſculatus, ei fauſta omnia precari, ac flagitare a Superis omnibus nullum finem faceret: tum aliis collocutionis eventum expectantibus, quid ſibi iter illud habenti, quid tum commutanti verba cum filio, obtigiſſet, quam libenter jam Deo, ac Societati adoleſcentem devoveret, coram aperuit: & quaſi perſpecta voluntate Numinis, ad ſuos regreſſus eſt.

V Religioſi tirocinii rudimenta.

Ad hæc paterna cum venia lætior Neapolim pergit Dominicus: ibique a P. Antonio Pallavicino, qui id temporis Provinciæ præerat Inſpector, ſeu Viſitator, ad Societatis Tirones aggregatus eſt XVI Kal. Januarii CIↃIↃCXCI. Ac principio ſtatim eam ſibi metam abſolutæ perfectionis propoſuit,

in quam dicta, facta, cogitataque omnia referret, ut ad noſtrarum legum normam omnino factus, conformatuſque videretur. Certe quidem proditum eſt memoriæ numquam eum né minimam quidem e Societatis regulis prætergreſſum: in iis vero, quæ reliquis ferme communia erant, atque ad orandi, demittendique, ac vexandi ſui ſtudium pertinerent, ita eminuiſſe præter ceteros, ut in ipſo vulgares res ſingularem quandam laudem habere putarentur. Unum, & alterum hîc attexam, unde liceat conjecturam de reliquis facere.

VI Documenta Modeſtiæ.

Eſt in Societatis more poſitum, ut Tirones terni fere in conclavibus ſingulis diverſentur. Suos itaque contubernales habebat jamdiu Dominicus: cum rogatus aliquando, ut quinam ii eſſent, ediceret, hæſit primum; tum ingenue ſcire ſe omnino negavit, quod in eos numquam defixiſſet obtutum. Neque illud abſimile. Cum demiſſiora etiam officia a Religioſis viris Dei unius gratia obeunda eſſe ſæpius inculcaret Tironum Magiſter; tum Dominicum monebat privatim, ut inter everrendas domeſticarum ambulationum ſordes attolleret identidem oculos in tabulam quandam egregio & antiquo opere depictam, in qua Jeſus puer pennicillo expreſſus eſt lignariæ officinæ quiſquilias & ramenta ſcopis converrens, confluente de cælo beatarum Mentium agmine, viſendi ſtudio intentarum, reique miraculo ſtupentium. Putarat is nimirum in eam tabulam obvertiſſe oculos aliquando adoleſcentem, quippe quæ in ambulatione ædium maxime celebri ſuſpenſa e pariete, vel in incogitantium fere aſpectum incurrit,

quot-

quotquot in illam ambulationem conſcendunt. Sed ecquænam eſſet tabula, quove in loco ſita, edocendus primum fuit: neque enim illam, ut pleraque, ne fortuita quidem converſione oculorum viderat.

Hæc tam caſtigata cohibendorum ſenſuum conſuetudo, & continens præterea mentis animique niſus ad cæleſtia, ac divina contendentis, metum injecit, ne valetudini ceteroqui imbecillæ nimium officeretur. Modum itaque adhibendum cenſuit, qui tum informandis Tironibus præerat, vir eximiæ virtutis, & prudentiæ, Mauritius ab Antonellis. Dominicum proinde jubebat ex intervallo eximi aliorum occupationibus, ac remittere animum: interim etiam ſecedere in hypæthram Tironum ambulationem, unde proſpectus patet amœniſſimus in Olympiacam plagam; & quo certius ad alia mentem referret, notare oculis ædificia, quæ Olympiacæ adjacent viæ, eaque enumerata, quoad longiſſime ferri obtutus poſſet, Magiſtro renuntiare. VII Contentioni virtutis modus imponitur.

Sed præclarius illud fuit, quo tentatam ejus virtutem, ac periclitatam voluit. Cœpit enim de induſtria non modo durius cum eo agere, ſed aſperioribus etiam verbis excipere; ſugillare ejus facta, voceſque; numquam domeſticis legibus, numquam ſibi factum ſatis oſtendere. Cumque aliquando Tirones in ipſorum aula alloqueretur, evocatum Dominicum, & coram aſtare juſſum in genua, inſtitit graviter objurgare adoleſcentem, ac bene longa incuſatione perſtringere; tum ſubirato ſimilis imperat ex aliorum cœtu ipſum abſcedere, eo neutiquam dignum, & in ſuum ſe conclave VIII Aſperior virtutis periclitatio.

 recipe-

recipere. Tironum præterea cuſtodi ac ſocio [is erat F. Joſeph Maria de Hieronymo, Ven. P. Franciſci de Hieronymo germanus frater, neque ſanctitatis laude admodum impar] negotium dat, ut nequid Dominico roganti deinceps tribuat, neque quod velle ſuſpicetur, efficiat, aut oſtendat quicquam in eo ſe ſatis habere. Ac diu res ita habuit. Cum ſciſcitatus ex eo quidam, ecquid æquo animo iſthæc ferret permoleſta ſane, atque aſpera, ſibique uni irrogata, præterea nemini; unum hoc reſponſum ab illo denique extundit, ſecum quidem agi præclare pro voluntate ac merito; cum ceteris ita ne agatur, an ſecus, nec ſcire, neque animadvertiſſe adhuc omnino. Suſceperat enim jam tum eam voluntatem, quam ratam ac firmam poſtea voluit, ac virtutis veræ parentem & comitem appellabat, ut quæcunque ſibi uſu venirent, æqui boni tacitus faceret; quæ vero alienarum eſſent partium, quoad facere poſſet, omnino ignoraret; ſuarum rerum ſatagens, ceterarum neſcius, ac ſecurus.

IX
Studiorum ratio, & ardor.

Exacto tirocinii biennio religioſa vota incredibili animi voluptate concepit; atque ad Neapolitanum bonarum artium Collegium demigravit: ubi Rhetoricæ, ac Philoſophiæ ſtudia eum excepere. Ita vero cœpit ad Dei gloriam in eas litteras toto pectore incumbere, ut neque illarum cupiditate nimia de ſtato precationum tempore, aut de virtutis ardore quippiam imminueret; neque diutinis fractus laboribus aliquid otio, deſidiæque indulgeret. Idque perfecit tam obfirmato, conſtantique animo, ut jam ſenior, cum languentem in litteris quorundam

rundam

rundam juvenum ſocordiam excutere vellet, de se plane confirmarit, dum in ſtudiorum curriculo verſatus eſt, religioſam de continenti ſilentio legem ne verbulo quidem violaſſe: qua opera duarum rerum ſe compendium feciſſe, ut & nullam horæ particulam ſurripuerit litteris, & ejus culpæ ſe numquam alligarit. De ſtudiis vero litterarum ſic ille quidem ſentiebat, ea prout in Societate ſancita ſunt legibus, ut ad Dei laudem, proximorumque ſalutem collineent, potiſſima quædam privatæ eſſe virtutis, ac publicæ diſciplinæ præſidia; nec leve quippiam, ſed ſanctum omnino ſacrumque putari debere; itaque non niſi tartarei hoſtis fraude ab iis revocari quorundam animos, quos ille vel corrumpere nimirum otio ac deſidia nititur, vel honeſtiore quidem virtutis ſpecie ludificari, & potiſſima ſanctioris militiæ arma aut eripere imprudentibus, aut retundere: quod obveniſſe Parenti optimo Ignatio, cum primum appulit ſe ad hæc ſtudia, proditum eſt litteris. Id cum alte combibiſſet animo, omnem curam atque operam ſtatuit in his diſciplinis, in quibus verſabatur, conſumere. Itaque brevi Latinæ linguæ auctores quoſque præſtantiſſimos non modo triverat, ſed, qua pollebat memoriæ facultate & fide, magnam partem, ac poetarum præcipue elegantiſſimos edidicerat: illudque animadverſum ſæpe, cujus injecta mentio Scriptoris eſſet, ex illo, prout occaſio ſe daret, multa eum in rem depromere, perinde atque illum pervolutaſſet unum. E græcis quoque fontibus concinniora quædam libaverat loca, quæ in adverſariis ad imitationem exemplumque repoſuerat.

poſuerat. Hac ope ingenii atque induſtriæ factum eſt, ut brevi cum ſoluta, tum adſtricta numeris oratione, excultiſſima quadam elegantia ſcriberet, nec modo antecelleret æquales, ſed Præceptoribus admirationem injiceret ſui. Itaque ejus omnia, quæcumque elucubraſſet, avide conquiſita deſcribebantur a multis; nec ſane pauca jam tum excepta cum laude, vel ad incudem & limam deinde ab eo per otium revocata, typis nunc evulgantur. Inde etiam licet ejus ſollertiam cognoſcere, quod ante annum ætatis vigeſimum & Sacrorum Bibliorum volumina callebat egregie, & S. Auguſtini libros pæne omnes percurrerat, aliorumque Patrum permultos, unde novam obortam ſibi lucem affirmabat.

X

Demiſſa, & gratuita in omnes caritas.

Nihil interim illo demiſſius: nec ſua magni facere, nec aliena umquam dicto, factove deterere. Cum ipſum multi diſciplinarum ſibi ducem, ac veluti ſubdoctorem adſciſcerent, operam ipſe ſuam libens polliceri, & quoad poterat, navare ſingulis, nec laudem ex eo captare, nec gratiam, ſed benevolæ adverſus omnes caritatis pretium præ oculis unice habere. Quidam ejus æqualis hodie ſuperſtes, vir magnæ probitatis & fidei, teſtatur ſe juniorem etiam tum magnopere optaſſe, ſibi Dominicum arctiore quadam neceſſitudine adjungere, quicum facta, dicta, cogitata omnia communicaret: quam amicitiæ formam tametſi vacare culpa intelligeret, videbat tamen minus nempe congruere in ſpeciem cum ea religioſæ, abſolutæque caritatis lege, quæ neminem unum complectitur eximie præter ceteros, ſed æque in omnes fraterna voluntate ſeſe

effun-

effundit. Rem itaque veretur Dominico exponere; dubitat, pendet animo; cum rogat, ut quem infixum pectori gerat cujusdam anxietatis veprem, Deo commendet precibus, dein conſilio ſuo evulſurus. Vix denique quid rei ſit, timide aperit, expectatque dum ille amicitiæ ſuæ copiam offerat; cùm, Habeo rem omnem, inquit Dominicus; & quo te ambagibus hujuſmodi certius expedias, luce craſtina cum matutinæ precationi vacabis pro more, hæc tua erit me auctore commentatio: Præſenti Deo te ſiſte; tum tibimet iterum ac ſæpius, Pro ſtultum, dices, pro ineptum caput, pro miſerum ac ridiculum hominem, cui minime ſufficiat Deus! Nec plura adjecit; eamque alteri cogitationem exemit ita prorſus, ut ipſius virtutem ille vehementius admirari, amicitiamque colere exinde cœperit, ſanctioris nempe ejus generis, quod nihil omnino humanum terrenumque germanæ caritati, quaſi auro plumbum, intermiſcet.

Præclara etiam nonnulla ejus temporis accepimus, quæ illam oſtendunt, quam ſibi propoſuerat, ceterarum rerum præ divinis deſpicientiam. Rei Curator domeſticæ ejus cubiculi ſellulas, ac neſcio quam præterea ſupellectilem, quod nimium inveteraſſent, novis commutarat. Vereri Dominicus nonnihil cœpit, ne cui gravior ea res accideret, qui ſibi potius nova utenſilia putaret attribuenda. Itaque remotis arbitris pleraque e cubiculo depromit omnia, & quaſi ab se neglecta & nullius addicta uſui exponit. Ceſſitque res ex voto; pro iis enim alia quædam obſoleta ac detrita rediens comperit, quæ in conclave illata lætior ac taci- XI Humanarum rerum præ divinis deſpectio.

tus apud ſe habuit. Sibi enim lucro ſemper fore ſtatuerat, ſi aliorum voluntatibus ac votis ubique obſecundaret, modo ne quid umquam contra domeſticas leges admitteret. Cum in eo etiam diſciplinarum curſu eſſet, quod colloqui cum aliis nefas eſt ſine venia, & aliquid interim oportebat indicari cupientibus; conſueverat ipſe, quæ vellent alii ab se cognoſcere, ea complecti verſibus ex tempore, hoſque deſcriptos illis tradere, eademque opera & ſilendi jura ſervare, & iis gratificári jucundius. Quæ recti quidem tenax, neque tamen triſtis auſteritas neminem plane offendebat; quamquam ille pro intempeſtivis alloquiis in conclavi, & in litteris abditus ſeceſſum paullo etiam avidius quæreret: id enim apparebat, haud inanis gloriolæ captandæ gratia, ſed intimæ virtutis inſtinctu ab ipſo fieri. Itaque cum nobilium adoleſcentium Sodalitio in Profeſſorum domo præeſſet per id quoque tempus; eaque de cauſſa e Collegio in illam domum concederet feſtis diebus, ubi acceptiſſima erat pleriſque ipſius conſuetudo; nihilo ſecius tamen antemeridianis Sodalitii officiis rite perfunctus, inde proripiebat ſeſe in domeſticam Bibliothecam, nulloque interpellante impranſus admodum in veterum monumentis diem ſolidum ad veſperam uſque collocabat.

XII Facultatis poeticæ ſpecimen.

Qui vero ejus laboris fructus extiterit, colligi vel inde poteſt, quod advenienti Neapolim Philippo V Hiſpaniarum Regi anno a Virginis partu CIƆIƆCCII cum ſollemnis gratulatio habenda eſſet in Neapolitano Collegio, ac res præpropera feſtinationem maximam flagitaret; id oneris Domi-

nico

mico impoſitum eſt, qui annos natus XXVI humaniores litteras tradebat: iſque pro ea, quam ſibi paraverat facultate latini carminis, tridui haud amplius labore, Regis florentiſſimi adventum in Euboicum litus poetice adumbravit ſatis exculto poemate; quod poſtmodum in Collegii aula, periſtromatis pictisque emblematis egregie ornata, ab ipſo recitatum, editumque in vulgus, magnam elegantiæ, majorem pro ætate ac tempore laudem tulit.

XIII Progreſſus in contemplativis diſciplinis.

Neque vero politioribus tantum muſis eminebat in paucis; ſed contemplativis quoque illis diſciplinis excoluit animum ſic prorſus, ut vix alius quiſpiam Philoſophiæ receſſus intimos, ac Theologiæ adyta pervaſiſſe & perluſtraſſe felicius cenſeretur. Huc præclara ſcilicet attulerat naturæ præſidia. Acerrima in eo, nulloque ſtatim niſu perſpicax ingenii acies; mirus intelligendi candor, par explicandi; prona quædam in rimandis rebus animi ſollertia, in excutiendis navitas ac judicium. Ad hæc multum quoque labor, multum ſedulitas & induſtria conferebat. Quare emenſo Theologiæ curriculo, repetere juſſus eſt rurſum atque altius privata opera ejus diſciplinæ quaſi abditos fontes maximeque retruſos, in biennium proximum; ſacroſque Codices interim, Concilia, Canones, Fideique Controverſias perluſtrare accuratius. Quæ Provincia cum perhonorifica eſt, tum paucis admodum demandari apud nos conſuevit, quorum, & probata magnopere ſit virtus, & præſtans omnino ingenium.

XIV Poeticam artem docet, ac Junioribus Societatis præficitur.

Verum ab repetendis hiſce ſtudiis ad poetica eum res & occaſio labente anno revocavit.

cavit. Qua enim ſolebat animi contentione eas recolentem diſciplinas, & plurima non ſegniter commentantem [quorum pleraque; adhuc in p etio ſunt ob accuratam, plenamque breviloquentiam] imbecillior valetudo in medio curſu inhibuit. Itaque ad poeſim docendam traductus, ſimul Moderator præpoſitus eſt Societatis noſtræ ephebis, qui a ceterorum ſecreti convictu quadriennium fere Rhetoricæ ac Philoſophiæ condiſcendæ impendunt. Sed cum alterum illud munus elegantis indole ingenii, tum illud quoque tam ſtrenuæ caritatis officiis ornavit, qua pietati, qua ſtudiis eorum litterariis ducem ſe, & adjutorem profeſſus, ut in ancipiti eſſet, colerentne eum impenſius, an diligerent. Alacer uſque aderat ſingulis; in partem etiam ſtudiorum laborumque ſubibat; nec multiplicis, importunæque operæ pertæſum ipſum tantiſper, annis jam quatuor, quiſquam animadvertit. Quin eam contentionem animi admiranti cuidam, ac prope familiariter objurganti, Immo vero noſtin', inquit Dominicus, an aliquid operæ & otii in hiſce litteris inſumpſerim? Jam ita conſtitue, ſi præteriti hujus laboris fructum alium caperem nullum, quam ut præſto ſim junioribus hiſce, quo alacrius ac ſuavius degant in Societate, recte ac feliciter id tempus omne me poſuiſſe arbitrarer. Quo oſtendit, quam vere Sapientiſſimi inter mortales viri eam vocem uſurpare potuerit, *quæ ſine fictione didiciſſet, ea ſe cum aliis ſine invidia communicare*. Ac ſuarum plane partium in omni vita eſſe duxit, ut poſcenti nemini [depoſcebant autem quotidie plurimi] non operam ſuam libens commodaret. Ita-

que

que in maximis etiam magiſtratuum curis ad concinnandas juvenum paraphraſes, imitationeſque adornandas, ne rediret ſubtriſtis ab eo quiſquam, ſæpe jam ſenior deſcendebat.

XV In philoſophia tradenda famæ ingens acceſſio.

Nec diſpar ejus ratio vitæ fuit, cum deinceps philoſophicas artes tradidit. Qui eum audivere, iſtuc ipſum hodie laudi ſibi vertunt; lautamque illam doctrinæ, & variæ eruditionis ſupellectilem commemorant: in quibus vir apprime clarus, omnique interiorum litterarum, ac morum elegantia excultus, Joſeph Aurelius de Januario: quem virum honoris cauſſa hîc nomino, quippe cui tam multa debet litteraria, ac Juriſperitorum præſertim Reſpublica cultiſſimis illuſtrata monumentis, quæ typis longe lateque expetentibus edita ſunt; tum amœnioribus etiam exculta muſis; aucta quoque magiſtratibus, quos Neapoli in Vicaria dudum ſuprema Curia iniit juri dicundo, nunc in Regio Senatu ab ejus arcanis pari tum ſapientiæ, tum integritatis laude gerit: is, inquam, vir, ex quo Dominico philoſophiam profitenti dedit operam adoleſcens, eum peramanter colere numquam deſtitit; vulgandorumque ab illius fato, quæ ſuperabant, operum auctor quam graviſſimus fuit. Et magnum Neapoli erat tum temporis Dominici nomen, multiſque eruditorum amicitiis florebat, qui ejus ſuavitate muſarum, ingeniique delectabantur: quorum cum intereſſe conventibus eum fere domeſticæ vetarent curæ, abſentem illi provocabant, miſſis ad ipſum codicillis, quibus reſcriberet e veſtigio vincta latinis numeris, aut etruſcis oratione: quoſque tum ipſe ad januam de-

vocatus fundebat ſtatim verſus ex tempore, ac difficili ſæpe argumento, eos frequens academia nec ſine acclamatione perlegebat.

XVI
Ad inſtituendos Societatis Tirones traducitur.

Sed cum majora etiam in Minervæ palæſtra ab eo expectarentur, quamquam ægre ferentibus multis illum Lyceo, litteriſque ſubduci, Majoribus tamen viſum eſt, e re Provinciæ publica fore, ſi Dominico Tirones diſciplinæ noſtræ inſtitutis informandi traderentur: quippe in uno omnes optimi inſtitutoris partes ita extabant, ut nullam in rem magis, quam ad eam curam factus, natuſque vulgo diceretur. Itaque Tirocihii magiſtratum capeſſit anno ætatis XLIII; geſſitque primum annos admodum ſedecim; iterumque poſt ſexennium eidem muneri redditus annos duos, eo duntaxat dimittere juſſus eſt, quo Provinciæ totius ipſum ſibi depoſcentis præfecturam iniret.

XVII
Paterna adminiſtrandi ratio.

Ejus vero adminiſtrationem, rationemque agendi cum novitiis adoleſcentulis maxime commendabat materna ſuavitas paternæ gravitati conjuncta. Nemo erat, quin cum ſemel allocutus, perſuaſum deinceps haberet ſe illi apprime carum eſſe. Fingebat ſe propemodum ad ingenia ſingulorum, eorumque mores ac pæne pueritiam induebat, quo ſe dulcius teneris animis inſinuaret. Qua benevolentia eorum mentes ſibi uſque adeo conjungebat, ut nihil tantopere vererentur, quam ne quid admitterent, quo offenſum iri illum crederent; offendi autem haud privatis umquam rationibus, ſed unius diſciplinæ cauſſa minime dubitabant. Interim ipſe nullam diei partem ſibi demere, aut vindicare; ſed vacuas uſque ſingulis præbere

bere

bere aures; pueriles ratiocinationes metuſque, quaſi id unum inſtaret, amanter excipere; neminem ab ſe niſi pacatum dimittere. Quo ſinceræ caritatis blandimento delinitis adoleſcentium animis, quæ jaciebantur vitæ ſanctioris ſemina, tamquam in facili ſolo ac radicibus pervio, coaleſcere certius ipſe uſu doctus ac die dictitabat: contra vero, niſi ingenia præſertim juvenum prius benevolentia ſubigantur, vix ullam provenire frugem, vel certe haud conſtantis legitimæque virtutis affirmabat: nimirum amore flecti teneras mentes; vi ac metu aut frangi, aut poſtmodum degenerare atque corrumpi. Quod ipſum in cauſſa fuit, ut quamquam ea curarum mole preſſus, & devexa jam ætate, rediret tamen identidem ad muſas, poeticoſque numeros, quo digreſſos e tirocinio alumnos blandius alloqueretur per litteras, & priſtinæ diſciplinæ memores, & legibus eſſe morigeros juberet.

XVIII Pleræque ejus virtutes.

Sed quoniam eadem illa ſemper, ſibique numquam diſpar, virtutum in eo æqualitas, & conſtantia fuit, quæ & hunc magiſtratum illuſtravit, & quod ſubinde munus geſſit ſexennium ipſum in Neapolitano Collegio Præfectus moribus, ſacriſque confeſſionibus, ac reliquam Provinciæ & Collegii ejus adminiſtrationem; de his virtutibus operæ pretium erit aliqua excerpere, quæ univerſum etiam ejus vitæ curſum oſtendent, tenore ſcilicet uno, perpetuoque confectum. Hæc vero ſatis perſpicua, minimeque vulgaria animi ornamenta permagnum ceteris ejus factis, dictiſque pondus apud conſcios præſertim, oculatoſque teſtes addebant.

Atque in oculis, & in ore omnium erat

XIX
Suaviſſima adverſus omnes caritas.

ſuaviſſima, & ſupra quam expeti poteſt, in omnes effuſa caritas, quam vel exteri homines, cum ſemel aut iterum allocuti, deprædicare atque admirari nullum finem faciebant. Mirum erat, qua alacritate animi, quam æquabili vultu omnibus præſto eſſet. Cum ad ipſum, quaſi ad parentem omnium, ſuos quiſque vel animi æſtus, vel injuriarum, ut inter homines, querelas, vel fruſtrata conſilia deferrent, nemo unus fuit, qui gravem aut importunum ſe adveniſſe vel levi ſuſpicione conjiceret: illius enim in excipiendo comitas, in pacando, erigendoque dexteritas, & haud dubiis teſtata factis voluntas, jacentes etiam penitus afflictoſque recreabat. Propinquam mortem in ætatis flore plus æquo extimeſcere quidam e noſtris videbatur. Inviſit juvenem Dominicus: nec longis ambagibus ita confirmat, ut eo digreſſo rogatus ille, ecquid mortem lætior aliquanto opperiretur; At quis, inquit ſpei jam plenus, in ſancti hujuſce viri manibus non mortem percupiat, & lætus aſpiciat? Cujus generis ſane quam multa percenſentur: ut omnino ejus vocibus, ſeu vis caritatis, ſeu virtutis opinio cæleſtem quandam facultatem ad erigendos relevandoſque animos adjungere putaretur.

XX
In humilioribus obſequiis ardor; animique lenitas.

Par ejus ſollertia, & ardor fuit in humillimis obſequiis caritatis cauſſa cupidiſſime obeundis; par lenitas in iis, ſi quæ inferrentur contumeliæ, perferendis. Cum Tironibus præerat Rector, ſæpe adire ad ægros ſolebat, nocte etiam intempeſta, ſi quid forte opus haberent: tum vero clam ceteris non modo ſternere eorum lectulos, verrere cubicula, ſed auferre purgamenta, & quæ ſordidiora

eſſent

eſſent miniſteria, ultro occupare: ac deprehenſus aliquando a Valetudinario rem prorſus indignante, diſſimulanter ipſe, ut ſolebat, jocis quaſi ad riſum injectis ejus voces eludere. Illud vero manſuetudinis ſpecimen fuit, cum in eodem Magiſtratu Frater domeſticæ operæ adjutor, illatam ſibi neſcio quam injuriam ratus, atque ira excandeſcens Rectorem convenit; totque in eum, quaſi in auctorem damni, convicia & contumelias egerit, quot ſuggerebat doloris æſtus, animuſque iracundiæ impotens. Rector lenire hominis intemperias fruſtra conatus, At vide ſis, inquit, ſaltem, quas ego in me libens accipio contumelias, ac fero abs te plane innoxius: quin tu quoque, tametſi liber ſis a culpa, perpeti ob Chriſti amorem aliquid recuſas? Quæ reſpondentis ſuavitas, quaſi inſperſa aqua, reſtinxit protinus igniculos iracundiæ, & os imprudenti occluſit. Verum hæc latebant fere ceteros, quod ea contegi & conſepeliri ſilentio ſtudebat, cum diceret caritatem eo eſſe ingenio, ut quamlibet vim injuriarum, noxarumque, quaſi velo quodam adducto, operiat. Itaque viros addictos virtuti ajebat diſſimulatione rerum acerbarum, quam difficilium ſuſceptione, majores proceſſus facere. Ipſum vero nec ferre aliquid gravius quiſquam conjecit, nec ulla de re conqueri aliquando audivit.

Hanc vero æquabilitatem ſpiritus alebat nempe continens oratio, & ſupra res humanas eminens, atque in Deum defixus animus. Nihil ipſe moliri, nihil aggredi ſolebat, niſi propitiato ante multis precibus Numine, a quo lucem ſibi continenter, cæleſti- XXI Orandi ſtudium

leſtiſque ſapientiæ ductum exorabat. Induxerat quippe in animum penitus, nihil in tuenda præſertim, curandaque animorum ſalute ſuſcipi feliciter, niſi cum Superis ante tranſigatur, quod tranſigi cum mortalibus oportet. Horarium ipſe matutinæ precationis tempus omnibus conſtitutum prævertebat quidem, cum horam alteram ferme & amplius ſomno ſubduceret; protrahebatque tum preces quoad per curas alias liceret. Ceterum illud perpetuæ veluti orationis genus uſurpabat, quo præſentem ubiquè Deum, fide intus admonente, contueretur; incenſiſque animi affectibus, brevibuſque pro re ac tempore oratiunculis aut coleret tacitus, aut rogaret, aut ſecum extolleret. Inde proclivis illi erat in congreſſibus mentio de divinis rebus, nec ea quidem arceſſita longius, nec inſuavis audientibus, ſed quaſi ex ejus animo ſponte ſua, & leniter per ſeſe fluens. At coram verba facturus, vel ſpiritualium Exercitationum explicaturus argumenta, multo ſane prolixius precationi indulgebat. Vix enim capita quædam rerum dicendarum commendabat ſcripto; ſedula dein commentatione ante Crucifixi Redemptoris ſimulacrum cetera de genu meditabatur, ut ex eo prius diſceret, quæ alios doceret. Quare quæ tum ex ejus ore manabant religionis monita, intimo & nativo quodam inſperſa pietatis ſucco & ſapore, penitus delabebantur in animos, ſincerumque æternarum rerum ſtudium incendebant.

XXII
Mira arcanarum rerum cognitio.

Hæc etiam rerum cæleſtium commentatio aſſidua non vulgarem homini indidit diſpiciendorum affectuum, ac diſcernendorum ſpirituum intelligentiam, quam multi ſalutarem

tarem ſibi fuiſſe affirmant. Complura etiam idoneis auctoribus teſtata circumferuntur, quæ radiis divini luminis colluſtratam fuiſſe ejus mentem oſtendunt. Non pauci vel jurejurando aſſeverant, animi arcana intima ab eo ſibi olim enuntiata, quæ hominum ſcientiam, & ſagacitatem omnem prorſus effugerent. Tiro magnis dubitationum ambagibus admodum diſcruciatus, ad Dominici cubiculum confugerat nocte concubia: vix leviter oſtium pulſat, ſeſe incuſans quod ſomnos quoque ejus interpellet; ecce tibi reſerata janua occurrentem Dominicum, qui hilari vultu eum ipſum ait ſe adhuc expectaſſe vigilem: paucis tum blandiſque vocibus inteſtinas animi turbas placat omnino, lætumque dimittit. Alterum præfervida indole adoleſcentem, ac præferoci plane ingenio, cum diu hortatus eſſet, ut refrenaret animi impetus, moreſque ad diſciplinæ normam exigeret; ubi animadvertit fruſtra eſſe omnia, contuitus eum aliquando ſeveriore quam ſolebat vultu, vociſque ſono, At hoc jam de me audi, inquit, penituſque infige animo: Triennio migrabis e vita: neve hoc excidat e memoria, adi Cenſorem tironum, eumque roga, ut ſi quid nugantem te obſervet, inſuſurret ſtatim tibi in aures, ut triennii memineris. Exanimatus ea denuntiatione ac voce adoleſcens rem omnem aperit Cenſori ac ſociis, exitum cupide poſthac expectantibus; cum præſertim Dominicus ſæpe numero tironem triennii admoneret. Eventus prædictioni fidem fecit. Valetudine qua utebatur integra, tentatus juvenis, e Societate dimittitur, ac triennio extinctus eſt.

XXIII
Abſoluta animi demiſſio.

Qui cum Dominico agebant familiarius, miram quoque in eo humilitatem extollebant. Sane quàm demiſſe ſentiebat ipſe de se; ſi qui vero exiſtimarent de ipſo præclarius, eos ajebat errore labi, extima quadam pietatis ſpecie deceptos, cum naturæ quandam facilitatem tribuerent cæleſti gratiæ, & inanem virtutis umbram pro virtute haberent. Sua etiam, quæcumque ſcriberet, in pretio eſſe invitus audiebat, in quibus nihil elaboratum limatumque eſſe diceret: itaque adduci numquam potuit, ut quicquam ſeligeret, quod ederetur in vulgus. Ceterum potiſſima in eo virtutum laus hæc erat, multorum judicio, magna nimirum diſſimulatio virtutum: quas nativa quadam dexteritate ſic temperabat, ut qui eminus inſpiceret, nihil animadverteret rarum, aut notabile; at propius, accuratiuſque intuenti omnia ex legum præſcripto perfecta apparerent. Sed erupit tum maxime hæc animi demiſſio, cum Neapolitanæ Provinciæ Præpoſitum ſe jam deſignari non dubiis rumoribus cognovit. Urebat ipſius animum cogitatio ejuſmodi; eamque rem unam in omni religioſa vita ſibi aſperam ac lugendam accidere ajebat, mærore ipſo fidem addente vocibus. Ejus vero doloris cauſſas litteræ teſtantur ad Præpoſitum Generalem datæ, quibus bona fide præfatus se in maximas anguſtias conjici, non tam ſua ipſius gratia, quam publicæ rei; tum provolvi se ait filium ad parentis pedes, ſummaque vi rogare, ne ſibi eam Provinciam, cum illius utique infortunio, decernat: Prudentia se plane, ſtrenuitate, fortitudine, rerum experientia deſtitui: ad hæc abjecto admodum infirmoque eſſe

eſſe animo, ac ſæpe turpiter obliviofo, qui rerum mole opprimatur penitus: ſeponendum eſſe tantiſper, quid alii ſentiant, recti ſpecie decepti; ac fidem adjungendam homini veriora de se apud patrem proferenti, quæ ipſe inſpector omnium novit Deus: ſuam privati hominis opellam fortaſſe haud inutilem juventuti ſaltem eſſe de plano; at fore ſine dubio, ut de loco ſuperiore multum incommodet univerſis. Sed hoc genere litterarum cum eundem magiſtratum aliquot ante annos defugerat, tum hoc tempore nihil profectum. Itaque ad eam adminiſtrationem denique jubente Præpoſito Generali admotus, nihil dubitatum eſt, quin, cum ægerrime præeſſet ceteris, attenuata in dies ſingulos valetudine, vitæ ſibi exitum maturaverit. Verum tanto jucundior omnibus erat ea manſuetudinis, benignitatis, abſolutæque virtutis in magiſtratu ſpecies. Cumque defunctus eo munere privatæ otium vitæ maxime expeteret, Neapolitani Collegii adminiſtratio ei tradita eſt; cujus octavo non dum menſe expleto, curationibus ejuſmodi, ac vitæ finem impoſuit, ut mox narrabimus.

Nec minor in eo fuit religioſæ obedientiæ amor ac ſtudium, quam nempe certiſſimam divinæ voluntatis interpretem appellabat. Legum vel minimarum ita rigidus cuſtos erat, ut diuturna multorum obſervatione, nihil ab iis alienum in illo quis deprehenderit. At a majorum voce ac nutu pendere omnino videbatur, tum quoque cum in magiſtratu aliquo & ipſe eſſet: eorum voluntatem exquirebat accurate, & quocumque illi innuerent, verſandum se, tractan- XXIV Religioſæ obedientiæ amor.

 dumque

dumque ſumma libertate permittebat. Inde vero ajebat angores animi omnes, turbaſque in religioſis domiciliis ſuboriri, quod qui obedientiam loco parentis optimæ accepiſſent, tum, perturbatis cupiditate aliqua mentibus, eandem quaſi novercam refugere incipiant, & in ſua potius, quam in majorum voluntate acquieſcere.

XXV
Abſtinentiæ ſtudium.

Jam in quotidiana vivendi ratione non ſolius paupertatis, ſed abſtinentiæ tenaciſſimus. Cibi adeo parcus, ut valetudinem, multorum opinione ſic debilitatam, penitus attriverit. Jejunia ſuſcipiebat frequens, religionis alicujus cauſſa: ſi quæ vero delicatiora obſonia apponerentur, ea deguſtare ſolum conſueverat, ne putaretur abſtinere prorſus; ceterum obeſſe illa languenti ſtomacho cauſſatus, viliora, utpote ſolidioris ſucci, eoque magis ſalubria, deligebat. Nec male incocta, conditave edulia umquam accuſavit; immo quæ reſpuerent ceteri, illa ajebat ſibi fere ſapidiora eſſe. Neque abſimile in ceteris rebus frangendi, atque abjiciendi ſui ſtudium; prorſus ut cupiditates omnes, motuſque animi haberet in poteſtate. Nec dejici mærore, nec geſtire lætitia, neque incitatiore affectu permoveri umquam viſus eſt: ſed ſive adverſæ res, ſeu proſperæ nuntiarentur, æquabili ſemper vultu, quique animi index eſſet in Dei voluntate conquieſcentis, ingerebat ſtatim, Dei nutu & conſilio hæc ſcilicet adminiſtrari omnia; par eſſe adeo ad voluntatem ſummi Numinis hominum voluntates conformari.

XXVI
Maxima in verbis cautio.

Ad hæc ſumma ejus in loquendo cautio fuit, ne quid excideret, quod vel abſentis læde-

læderet famam, vel præſentem dicto perſtringeret: immo vero hoc habuit antiquiſſimum, ut aliorum noxas detereret verbis, & quoad poſſet, excuſaret omnino. At ſi qui ſerperent ſermones ejus generis, qui in colloquia proborum etiam virorum nonnumquam irrepunt, lepore quodam minime fucato eos abrumpebat, aut ad alia omnia avertebat. Quamquam viri gravitas, & exiſtimatio, & ſingularis modeſtiæ ſpecies obſtruebant fere hujuſmodi rebus aditum omnem. Sive enim conſideret, ſeu ſtaret, ſive ingrederetur, ita oculos, habitumque omnem componebat, nihil ut poſſet fieri decentius, nihil ad injiciendum pietatis ſenſum accommodatius: ac ſæpe qui de ipſo nihil umquam fama cognoverant, tamen conſpicati eum aliquando, intima quadam veneratione ſuſpiciebant, additiſque ſanctimoniæ notis, cum oporteret, eum aliis indicabant.

XXVII De ejus virtute aliorum opinio.

At major longe de ipſo opinio erat apud ceteros, qui illo utebantur familiarius, quive ſanctiorem pietatis callem ingreſſi certius ferre de virtute judicium poterant: vix enim alium ejus itineris ducem, moderatoremque optabant ſibi libentius; ejus vero conſilia & voces, quaſi cæleſtis cujuſdam prudentiæ præcepta, ſic venerabantur. Quare Michael Angelus Tamburinus, Societatis noſtræ Generalis Præpoſitus, & Evangelicæ vir prudentiæ ac probitatis, Dominicum vocitare *hujus Provinciæ Angelum* ſolebat; tum ejus in rebus gerendis judicium privatim exquirere, ac tanti habere, ut aliquando Præpoſiti etiam Provinciæ deſignandi, quæ tum res gravis erat & anceps, ipſius

eſſe

eſſe arbitratum, datis ad eum litteris, voluerit. Vincentius quoque Alamannus, magnæ virtutis ac ſapientiæ Præſul, quandiu Neapoli conſedit Romani Pontificis Internuntius, ipſum frequens, & perquam familiariter inviſere ſolitus eſt, candoremque animi & conſilii extollere; ac vitæ arbitrum, cui in rebus dubiis tuto acquieſceret, ſibi eſſe voluit. Nec minus illuſtre de ipſius integritate & doctrina judicium fuit ampliſſimi Principis Michaelis Cardinalis de Althan Proregis, qui incredibili humanitate complexus Dominicum, ejus conſuetudine & conſiliis plurimum utebatur. Sed non eſt hujus temporis percenſere ceteros magni nominis viros, cum præſertim ad exitum vitæ enarrandum paullo enucleatius revocemur, quem Dominicus virtutis habuit exemplique plenum.

XXVIII
Extremus morbus, mortiſque præſagitio.

Itaque poſt Provinciæ præfecturam, ut expoſuimus, Neapolitano Collegio præerat Dominicus: cum appetente Quinctili menſe paullatim languore imbecilli ſtomachi tentari cœptus eſt: quem cum pro more diſſimularet diutius, tormina febriculæque extitere, quibus ſenſim vires abſumebantur. Fefellitque medicorum induſtriam morbi vis, eo etiam facilius, quod in affecto corpuſculo vigor animi nihilo ſecius valeſceret, languoremque ipſe omnem patientia, & incuria tegeret. Aliis igitur nimiam parcimoniam cibi cauſſantibus, aliis diſtentam aſſiduis curis vitam; nec medicamentis quicquam, nec cæli liberioris ſalubritate juvantibus, inteſtina & letalis jam tabes metuebatur. Neque obſcure ſibi mortem ipſemet prænuntiabat Dominicus, quam perſenſiſſe

divi-

divinitus conſtans opinio fuit. Ante duos menſes, quam decederet, percontatus e quodam forte juniorum, ſatin'recte juniores ceteri ſervarent officii leges, & diſciplinæ; illoque affirmante, ſubjicit Dominicus, *At mea intereſt ſolùm, ut ad Novembrem uſque extremum ita gerant ſeſe.* Quæ vox obſcurior tum viſa, cum ille tandem recrudeſcente morbo detineri lecto cœpit, pro vaticinatione habita eſt, expectationemque concitavit maximam, donec poſtremo ejus menſis die prædictionis veritatem illius mors comprobavit. Cum alter deinde veniam ab eo peteret imagunculæ cujusdam apud ſe habendæ, lautius quidem ornatæ quam pro domeſtica conſuetudine, abnuente primùm Dominico, quod Majorum venia, ut ajebat, etſi graviore culpa liberat, pœna tamen expiatorii ignis haud eximit; inſtare ille perrexit, ut eam ipſemet Rector inſpiceret; *Inſpiciam*, inquit Dominicus, *cum præter tuum cubiculum ibo: at rem hanc expedi ante proximum diem Dominicum; poſthac enim omnino nefas erit.* Eo nempe die poſtremum decubuit XI Kal. Decemb.

Sed ſimul denique ſe prodidit inteſtina viſcerum lues, ſimul de ejus vita deſperatum eſt. Ac mærentibus interea ceteris unus ipſe alacer, erectuſque vim morbi, mortemque approperantem æquiſſimo excipiebat animo, aliorumque luctum ſuaviſſime ſolabatur. Duas modo res ægre ſe ferre, identidem ajebat; alteram, quod ſua ſcilicet cauſſa tot ceteri incommoda ſubirent, quæ ut præverteret, repentinæ ſibi mortis genus efflagitaſſe affirmabat; alteram, quod erubeſceret ipſe admodum, reputans animo, Chriſtum XXIX Placidiſſima animi æquitas, & patientia.

Jeſum

Jeſum cruci immorientem omni prorſus aut lenimine, aut conſolatoris voce caruiſſe; cum ſibi contra tot adeſſent, qui opem tanta contentione unde unde conquirerent. Tum nulla de re libentius, quam de propinqua jam ſibi morte, novæque ineunda ratione immortalis vitæ ſermonem ultro conſerebat, tam immoto animo, ac vultu, ut cum affirmaret omnia nempe id unum edicere, ſolum tamen mortis horrorem ſibi abeſſe miraretur. Hac mentis æquabilitate adducti adibant ad eum plurimi, ſupremum vale dicturi, ac rogaturi, vel ut certos Cælites ſuo ipſorum nomine ſalutatos vellet, vel ut poſtremo crucis ſigno ſuper eos ducto amanter iis bene precaretur. Quæ cum ejus humilitas omni ope reſpueret, vix tamen flagitantibus, effuſiſque in lacrymas recuſare omnia facile caritas poterat.

XXX
Mors pie obita.

Atque ipſe quidem ſacram Euchariſtiam interea diebus alternis, ac poſitis humi genibus religioſe ſuſceperat. Pridie vero quam decederet, de cæleſti viatico admonuit: quod cum tunc ipſum jam appararent; *Nihil*, inquit, *iſthac properatione eſt opus*; *luce craſtina tempus abunde ſuppetet*. Ita extrema ea nocte ſibi prælegi juſſit eas preces, quibus proſequi morientes Chriſtiano ritu conſuevimus, quas ſcilicet ſui compos audire & reddere ex animi ſenſu tum poſſet, poſthac vero nec ſcienti nec audienti recinendas. Ubi dies illuxit divino æternitatis viatico munitus, ſacroque inunctus oleo, collegit ſe religioſius; nihilque præterea admiſit ad refocillandas vires ſenſim collabentes, cum cæleſte illud pharmacum ſibi ſatis eſſe diceret in eum diem, quem ſibi extremum adeſſe multis,

tis, nec dubiis vocibus palam indicabat. Deo ſe interim, æterniſque rebus placidiſſime oblectans, ſacraſque preces pie admodum uſurpans, hora fere ante ſolis occaſum, inter comprecantium voces, efflavit animam pridie Kal. Decemb. anni CIↃIↃCCXLV, qui ætatis fuit nonus & ſexageſimus, atque ab inita Societate LIV.

Statim curatum eſt, ut ejus effigies exciperetur in tabula, monumenti ergo, & amoris; & quo plurium votis fieret ſatis, ære quoque inſculperetur; tum plumbeo loculo incluſum cadaver cum elogio, ſecretumque a ceteris humaretur: quod cum ingens apud nos eſt venerationis indicium, tum quotquot Neapoli ſunt Collegia noſtrorum, ac Domicilia enixe poſtularunt. Cadaver certe poſt horas ferme triginta flexile omnino manſit, morbidumque: quod contemplati quidam experiri voluere, an ſecta manus venula ſanguinem mitteret; miſſumque linteolo excepere: idque naturæ tribui poſſe, qui aderat medicus, negavit omnino, ejuſmodi morbo inficiente præſertim, ac vitiante ſanguinem. Extincti etiam reliquiæ ab exteris hominibus vel ablatæ tum religionis cauſſa, vel flagitatæ ſunt multæ. Sed iſthæc, & quæ ejus ope narrantur collata de cælo beneficia, putamus prætereunda potius: quippe quæ nec faſtidioſe aſpernanda, ut plerique amant, nec præcipiti fide complectenda arbitramur. Fuit autem modica ſtatura Dominicus, vultu inter aquilum candidumque, exporrecta fronte, capite tereti, oculorum acie hebeti prorſus, quæque ocularium cryſtallorum opem continenter requireret, niſi iis ſubinde parceret modeſtiæ gratia:

XXXI Supremi honores perſoluti.

tia : ingenio autem adverſus omnes benevolo, ſublimi, atque aperto; eoque plane inceſſus, & factorum, dictorumque omnium modo, ut nec facilitati gravitas, nec feſtiva hilariſque conſuetudo venerationi quicquam adimeret.

XXXII
Proteſtatio.

Quæ quidem dum ſcribimus, humanam videlicet recentis hiſtoriæ fidem ſecuti, id profitemur, ſi quæ naturæ vires, hominumque auctoritatem excedunt, ea ſic accipi, & intelligi oportere, quemadmodum Sacris Legibus Romæ cautum eſt: iis præſertim, quæ annò CIƆIƆCXXV latæ, tum anno CIƆIƆCXXXIV confirmatæ ſunt; quaſque ſuis litteris ſanxit Urbanus VIII anno CIƆIƆCXXXI: a quibus diſcedere nec voluiſſe nos, nec ulli fas eſſe edicimus.

AD

AD LECTOREM

PRAEFATIO.

Haud eſſe opinor ab re, ſi paucis te detineam in limine, Lector humaniſſime. Quæ proferimus DOMINICI LUDOVICI CARMINA, *excuſa typis quam potuimus caſtigatiſſimis, nec fortaſſe inelegantibus, tanto jam pridem ſtudio, ac prope convicio expetebantur ab eruditis viris, quanta Auctoris, dum vixit, modeſtia fuit, qui poſcentibus late prelis ea recuſavit. Nunc non niſi poſthuma eduntur: eaque re una abunde conjicis, ut puto, neque iis manum ultimam admotam eſſe ab homine, qui de ſuis evulgandis rebus numquam cogitavit; neque vero conquiri omnia potuiſſe, quæ in eo genere ſcripſit, cum multa, eaque præſtantiſſima, vel male diſcerpta, vel alienis condicta uſibus, vel incurioſe commiſſa ſchediis, cuſtodibus nempe infidis admodum, jam diu peſſum ierint. At vero hæc, quæ e communi labe ſuperfuere, premi poſt Auctoris funus & conſepeliri ſine publico ſane incommodo haud quaquam oportuit. Cum præſertim inſtiterint præcipui harum litterarum cultores, petierintque enixius, ut editio quam citiſſima accuraretur; ea permoti ſcilicet, ut coram prædica-*

bant,

bant, ſingularis elegantiæ laude, quæ Auctori peculiaris fuit, ætatemque illam auream quam proxime redolet, ob nativam quandam, ac per ſeſe aptam, fluentemque carminis venuſtatem, & ſententiarum copiam. Illimis enim ubique & compta facilitas, ac purus extat nitor poeticæ dictionis: ac ſeu tenuia, & minuſcula quædam curioſius deſcribat, ſive ſacras res, virtutiſque intimæ præcepta revocet in carmen, partes æque illas duas feliciſſime aſſequitur, quas abſolutæ poeſi attribuit Ariſtoteles; ut ſcilicet emineat ſemper ſupra vulgus, ſed illuſtri quodam æquabilique candore dicendi; candorem vero ipſum ſuſtineat juxta, & ab omni humilitatis nota vindicet. Λέξεως δὲ, *inquit ille,* ἀρετὴ, σαφῆ, καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι (a). *Quæ quidem laus quanta ſit, quantique operis, is dijudicabit, qui ſuo periculo rei momentum experiri voluerit, præterea nemo. Eſt enim ex eo optimarum videlicet virtutum genere, quæ eminus contuenti nihil quidem notabile, ſed apta modo ſingula, & quaſi ſubnaſcentia inter manus oſtendunt: at quo propius inſpexeris, & ſtudueris æmulari, eo etiam præſtantiora eſſe, labore ipſo, ac niſu imitandi plerumque irrito, ſenties: Ut enim illud intereſt inter nativam, adſcitamque venuſtatem, quod illa, quippe quæ ſucco & ſanguine effloreſcit, longe hanc antecellit, quæ dum-*

[a] Ariſtot. lib. de Poet. c. XXII.

dumtaxat fuco nitet atque pigmentis ; nihilo quidem ſecius uſuvenire in re præſertim poetica videmus. Itaque proprius, germanuſque ejus candor, quamquam levius ferit oculos, tamen fucato quæſitoque plurimum præſtat. Dedimus igitur hanc operam huic noſtræ ætati haud plane inutilem, ut cultiſſimi Vatis quæ comperire licuit carmina, ſedulo delecta, fideique priſtinæ reddita, ac digeſta in libros quatuor, typis commendaremus : quibus Inſcriptiones non paucas attexuimus, quas amicorum rogatu, & pro re ac tempore identidem concinnavit ; longe plures addituri, ſi, quæ alibi paſſim extant, earum exempla nanciſci potuiſſemus. Ad hæc nitidiſſimæ reſtabant Paraphraſes, quibus Auctor Odas Horatii pleraſque expreſſit Elegiaco item carmine : quod opus in tenui poſitum alicui fortaſſe videatur ; ſed magnæ utilitatis, & laudis haud expers eſſe peritiores rerum æſtimatores judicabunt. Verum ne mora longior huic edendo volumini afferretur, neve moles nimium excreſceret, viſum eſt earum editionem proferre aliquantiſper, & in aliud tempus rejicere. Tu interim his utere, quæ damus in præſens ; & ſi quam aut Vati demortuo, aut viventium labori gratiam deberi intellexeris, hanc auctori potius bonorum omnium Deo O. M., cui adſtricti peræque ſumus, fac referas. Vale.

DE DOMINICO LUDOVICI S. J.

ILLUSTRIUM VIRORUM

TESTIMONIA.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

EPIGRAMMA.

Viſitur heic magni memorabilis urna Maronis;
  Altera conſpicitur, nec minor, urna prope.
Si titulum quæris: LUDOVICI hæc nomina præfert;
  Extinctum deflent Aonides, Charites.
Aſt ſeu Pieridum tumulas, ſeu gignis alumnos,
  AEqua eſt, Parthenope, gloria ubique tibi.

JACOBI FACCIOLATI

AD

CL. V. JO. ANTONIUM SERGIUM

EPIGRAMMA.

AUrea DOMINICI dum luci carmina, SERGI,
  Reddis, & in Latium ſæcla priora vocas,
Omnia diſcipuli non exples munia grati:
  Eſt aliquid majus, quod petit officium.
Vis hominem dare? vis nobis oſtendere, quanti
  Prodere ſe totum ſi voluiſſet, erat?
Verſus ede tuos. Famæ, mihi crede, Magiſtri
  Haud paullo melius conſuluiſſe potes.

JOAN.

JOANNIS ANTONII SERGII

AD

CL. V. JACOBUM FACCIOLATUM

ELEGIA.

Quod nitido ſpiret Ludovicus carmine, veri
Quod vel poſt fatum candidiore fluat,
Spinellis [a] merito florebit gratia facti,
Carmina de medio qui rapuere rogo.
Nobile par fratrum [num ſtirpe, an Pallade majus?]
Fert Præceptori, quod trahit, inde decus.
His ultro comites ſe ſe junxere Camenæ;
Junxere Aonidum qui ſacra jura colunt.
Ipſe preces dederam, ne tot decora inclyta laudum
Parthenopes ſinerent nocte ſilente tegi.
Et fuſæ valuere preces: poſt fata ſuperſtes
Sebethi volitans margine cantat Olor.
Vicino (haud fallor) tumulo caput exſerit ingens
Virgilius, blandos dum bibit aure modos.
Statius en plaudit noſtræ Sirenis alumnus,
Actius & geminæ cultus in arte lyræ.
Tu geſta enumeras, tu nectis laurea ſerta,
Matthaee (b), & gemina nomen ab arte refers
En Sophiam & Phœbum ſpirans Aurelius aſtat:
Noſco meam, ac veneror, ſpem, decus, & columen;
Quid vero hic priſcos vates, vateſque recentes
Complectar? Plauſu collis, & unda fremunt.

c 2 Pauſily-

(a) Hi nempe ſunt PP. Joannes, ac Dominicus Spinelli e Soc. Jeſu.

[b] P.Paſchalis de Matthæis S.J., qui Auctoris vitam elegantiſſime ſcripſit, ejuſque laudes ſub lauri allegoria ſuaviſſimis elegis concelebravit.

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII.

Παρθενόπην ἕλε θάμβος, ὅτ᾽ ἔκλυε τοῦ ΛΟΔΟΊΚΟΥ
Τὴν ὄπα μειλιχίου μελιηδέα τε ζαθέαν τε,
Θέλγουσαν μάκαράς τε καὶ ἄνδρας ἀπήμονι μολπῇ.
Καὶ φάτο· τίς γὰρ ἐμὰς ἀθετεῖν οἷός τε θέμιςας;
Ἄρσενα μήτι βροτοὶ Σειρῆνα τρέφουσι τετάρτην;
Ταύτην δ᾽ οὐκ ὀλοὴν (ἐμοῦ οἷάπερ ἐςὶ γενέθλη)
Ἀλλὰ σαοφροσύνης καλοκαγαθίας τε γέμουσαν,
Παντοίων δ᾽ ἀρετῶν φρεσὶ σπινθάριγας ἐφιεῖσαν.
Ἀλλὰ σὺ λοιπὸν ἔασον, Ὀδυσσεῦ, κηρῷ ἀλεῖψαι
Οὔατα τοῖς ἑτάροις, σὲ δέ τ᾽ ἐν δεσμοῖσι πιέζειν·
Ἡ τετράτη Σειρὴν μόρον οὐ φέρει, ἀλλ᾽ ὑγίειαν.

INTERPRETATIO.

PArthenope obſtupuit, ſimul audiit excita cantum
DOMINICI, nullus quo dulcior ac mage dius:
Carmine quo innocuo ſuperique homineſque beantur.
Numquis, ait, potis eſt in noſtra irrumpere jura?
An quartam Sirena marem nova protulit ætas?
Sirena inſontem (mea nam malefida propago)
Recti hortatricem, plenam pulchro atque decoro,
Virtutum ad genus omne faces ſtimuloſque adhibentem.
Quo-, Laertiade, -circa ſine vincla valere
Et ceram, ac fines hos prӕterlabere tutus:
Haud Siren Veſtina necat, quin ſedula ſervat.

PASCHALIS DE MATTHAEIS E SOC. JESU

A D

GL. V. JOSEPHUM AURELIUM DE JANUARIO

In Supremo Regalis Cameræ Conſilio a Secretis

E L E G I A.

HIc ubi vitifero frondeſcens culmine collis
  Adſervat cineres, & tua buſta Maro,
Si qua fides, Josephe, ſacro de vertice laurus
  Seu poſuit, ſive eſt ponere viſa comas.
Nuper viſa mihi: vos conſcia cærula teſtor,
  Teſtor Olympiaci numina fida maris.
Tum Nymphæ, memini, tum proxima Mergelline,
  Tum ſtetit & trepido Doris anhela gradu.
Scilicet Alpinis Boreas e cautibus omnem
  Huc rabiem, ſævas detuleratque minas.
Et procul incubuit, ſtirpiſque evellit honorem,
  Lataque deciduis frondibus arva tegit.
Ut vidi, ut dolui Boreæque iratus & Auſtris;
  Audiit & querulos unda, nemuſque ſonos.
Sic jacet Euboicis laurus ſervata Poetis,
  Sic jacet heu! doctas cingere nata comas!
At non Euboicis poſthac ſervanda Poetis,
  Non poſthac doctas cingere læta comas.
Hæc ego multa gemens; cum me vocat una ſororum,
  Fallor, an illa Erato, ſive Thalia fuit?
Illa procul vidua delapſas arbore frondes
  Dum legit, & toto triſtis oberrat agro;
Me ſimul aſpexit, calathoſque oſtendit onuſtos,
  Atque hæc ſuſpenſo pollice verba dedit.

Scili-

Scilicet & laurum quæ vis decuſſerit, & quæ
  Forte rogas longæ ſit mihi cauſſa viæ.
Quæ Vatum florem demeſſuit, invida fati
  Hæc Phœbo ſacras vis premit una comas.
Eheu! cum jacuit leto LUDOVICUS acerbo,
  Cum cithara, & doctæ conticuere lyræ;
Credite, Pieriis nil non lugubre ſub antris,
  Gorgoneum reſonat nil niſi triſte nemus.
Nam neque vos ſolum tangunt ea funera, tangunt
  Nos quoque, nec luctus neſcia Pimpla ſui eſt.
Ipſe pater citharam Phœbus, lauroſque comantes
  Depoſuit, riguis immaduitque genis.
Hanc adeo, Vati quæ præbuit ante coronam,
  Funereas laurum juſſit habere notas.
Quin heu! disjectæ periiſſent turbine frondes,
  Ni Vatum ſollers dextera ferret opem.
Unus opem ante alios fert nempe AURELIUS, unus
  Magna ſimul Pimplæ gloria, magna togæ.
Hic Phœbum incuſat (Phœbo gratiſſimus ipſe eſt)
  Cumque ſuo lædi ſtipite ſerta dolet.
Heu! quianam tanti pereunt ſolatia luctus!
  Nullane ſint ſtirpis præmia, nullus honor?
Protinus huic ſe dat comitem MAZOCHIUS; huic ſe
  SERGIUS, aonio nomina blanda choro.
Alter multiplicis rata per diſcrimina linguæ
  Dum multa madidus Pallade verba liquat;
Alter Caſtalia Themidem dum perluit unda,
  Et ſequitur clarum, qua licet, uſque ducem;
Abnuat an Phœbus? neque contra tendere fas eſt,
  Nec facunda ſinant agmina Pegaſidum.
Juſſa igitur frondes adſum lectura caducas,
  Poſthuma quæ Vati ſint monumenta ſuo.
Dixit; & incumbens operi data penſa reſumit
  Ocyor; & roſeo jam fatis ore notat,
Quæ meritis, JOSEPHE, tuis ſtet gratia, cui ſe
  Cynthius ipſe neget perſolviſſe parem.

 Te

Te propter ſibi jam ſupereſt Ludovicus, & ipſos
  Poſt cineres, hominum major in ora venit.
Tu nec fœda ſitu clari monumenta Poetæ,
  Merſa nec indecori nocte jacere ſinis.
Idque inſtas dudum, ſociiſque juvantibus urges,
  Vivant ut longa carmina docta die.
Carmina, non uni quæ vix erepta ruinæ
  Diſcerpſit toties, occuluitque parens.
Paremus læti obſequio: tu Vatis amici
  Pignora, ceu dextræ munus amantis habe.
Fors erit, ut notos recolens in imagine vultus,
  Quique fuit morum candor, & ingenii,
Ah! parvo ſaltem, dicas, fons noſcitur hauſtu,
  Noſcitur exiguis laurus opima comis.

JOSE-

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO

AD

R.P. PASCHALEM DE MATTHAEIS E SOC. JESU

ELEGIA.

QUos mittis, triſtes elegos, MATTHAEE, recepi;
  Miratus, niteat quantus in hiſce lepos.
Et grates reddo, noſtræ quod divite vena,
  Plus æquo, famæ conſuluiſſe ſtudes.
Non equidem merui: laudas, quod deficit in me:
  Arte, nec ingenio dos mihi nulla redit.
Quique legat laudes, nimium commendet amorem;
  Judicium certe non probet ille tuum.
Sed ſatis hoc. Vidi, quanto tu percitus œſtro,
  Quæ nuper luctus ſint data ſigna, canas.
Nam laurum, magni qua cingitur umbra Maronis,
  Ipſe refers, virides depoſuiſſe comas.
Ut, quem perdidimus, LUDOVICI morte, doceret,
  Impatiens pompam ſuſtinuiſſe ſuam.
Dum tamen hæc memoras, iterum ad ſuſpiria pectus,
  Ad lacrymas iterum lumina noſtra vocas.
Atque aperis vulnus, cœpit quod tempore claudi;
  Et gravius, tentas dum renovare, facis.
Scimus, qui fuerit LUDOVIX: non noſcere vellem,
  Quam noto poſthac me caruiſſe Viro.
Quid juvat, immenſa primum dulcedine mergi;
  Cum poſt guſtandus triſtis amaror erit?
Quidve juvat, breviter ſpatioſa luce beari;
  Dein oculos tenebris & ſine fine premi?
Eheu! qui mores, qui viſus amabilis illi,
  Qui gratus placido riſus in ore fuit!

Heu! quantum ingenium, & felix, & ad omnia natum,
Quantaque doctrinæ mente repoſta penus!
Tres didici tanto ſub Præceptore per annos,
E cathedra Sophiæ cum documenta daret.
Qui ſcriptis candor, viva quæ voce venuſtas,
Copia quæ rerum, quæ meditantis opes!
Diſcipulos ſollers omni pro parte juvabat;
Præſtans, quam ſibimet quiſque petebat, opem,
Viſus enim tardis patiens, ſubtilis acutis,
Exſuccis uber, firmus & ambiguis.
Atque Stagiritæ quamvis monumenta Magiſtri,
Ritu Majorum, debuit ille ſequi;
Ardua quæ fuerant, cultu explanavit amœno;
Abdita perſpicuis explicuitque modis.
Et ſale perfricuit, fuerant quæ orbata lepore,
Ut ſaperent, paucis quæ ſapuere prius.
Nec, quæ Scriptores commenta recentia tradunt,
Nos voluit ſicco tranſiliiſſe pede.
Illorum valide monſtravit ſomnia; falſum
Qui veriſimili ſub novitate tegunt.
Præſtare ingenio hos, dixit, ratione carere:
Laude quidem dignos, non tamen eſſe fide.
Sed non his tantum ſtudiis excelluit: Illi
Pierides vatem non habuere parem.
Præſertim verſus, quorum brevis alter, & alter
Productus, nitido texuit ille ſtilo.
Nil addas melius, nil demas forte redundans:
Omnia nativi plena leporis erant.
Et veneres, quot habet puro in ſermone Tibullus,
Inveniſſe illum, non rapuiſſe putes.
Teſtes appello pulcherrima Carmina, nuper
Cuſa typis, quovis non peritura die,
Quæ licet Auctoris genio neglecta jacebant,
Quo mage cara aliis, hoc ſibi cara minus;
Victa eſt poſt vitæ tam rara modeſtia curſum,
Vincere quam dudum non potuere preces.

Irrita

Irrita debebant illius vota relinqui,
  Irrita ne Patriæ vota relicta forent.
Conſilium unius communis opinio fregit:
  Privata potior publica cauſſa fuit.
Nemo ſuis rebus poſſet, ſi vellet, abuti:
  Hoc ſtatuum imperium provida jura vetant.
Hæc ſcripſi mærore animi confectus, Amice,
  Parcas, incultus ſi tibi ſcriptor ero.
Qui dolet, ipſe ſui compos non eſſe videtur;
  Informes fetus mens agitata parit.
Ingenii culpa, dedimus mediocria ſemper:
  Nunc, luctus cauſſa, deteriora damus.

JACOBI MARTORELLII.

Αὐτὸς εἰ εὐ ᾄδεις κ' ἱλαρῆς χάριτεσσι περισσὸς,
  Μήτεἰ εἰ πολλῷ βριθοσύνῃ τε γράφεις·
Κρήγυα εἰ βιοτῷ κὴ ὁμȣ̃ ἐπιτηδέα βάζεις,
  Εὐ μὲν, ὅτ' Αὐτὸς ἔπῃ ἴχνεσιν Ἑλλαδικοῖς.

LATINE.

SI recte Ipſe canis; puroque lepore benignus
  Si chartas multo pondere & arte linis:
Si jucunda ſimul vitæ & peridonea promis,
  Eſt bene, quod Tu veſtigia Græca premis.

JOAN.

JOANNIS ANTONII SERGII

A D

R. P. FELICEM DE DEO E SOC. JESU

O D E.

QUis nos ludit imagine
  Error ? quis miſeros turbine corripit ?
Ah fruſtra , & male perditæ
  Curæ , pieriis quas dedimus modis !
Nam quid vatis adorea
  Præcinxiſſe juvat vel meritas comas,
Si , ceu vulgus iners , metit
  Vates Parca ferox , flectier impotens ?
Extinctus Lodoix jacet
  Muſarum Genius, vindice quo lyræ
Romanus rediit nitor,
  Urbanique ſales , & Charis Attica.
Sævit barbaries fremens,
  Nequicquam quatiens lurida ſpicula :
Nam , ceu Sol aperit diem,
  Sic ſpiſſas tenebras dextero Apolline
Fudit ſtrenuus , impiger,
  Et ſtultæ impoſuit frena licentiæ.
At non amplius ebibet
  Lymphas Caſtalii fluminis , heu dolor !
Non cinget foliis caput,
  Pulſabit nitidas pectine non fides.
Declivis ruit æthere
  Si Titan, remeans mane nitet polo:
Nobis , dura neceſſitas
  Ut mortis rapuit , nox gravis incubat.

Illum

Illum Caſtalio in ſpecu
  Flerunt Aonides luctibus horridæ.
Triſtis Parthenope dedit
  Effuſas lacrymas, cui decus occidit.
Ponti gurgite mergitur
  Sic ſpectanda ratis mercibus aureis.
Sic e vertice proſilit
  Laurus magna, feris cæſa bipennibus.
Sed mentem inſolitus furor
  Ducit quis rapido dum quatit impetu?
Tu me, diva Fides, tuis
  Illuſtres radiis. Culmina ſiderum
Monſtra, queis Lodoix agit
  Lætus forte nova jam rutilos dies.
Non illic habitant metus,
  Non ſpes ſolicitæ, non querimoniæ
Aſt tu, pax animi, viges,
  Incorrupta fides, nudaque veritas.
Illic veſcitur hauſtibus
  Lucis ſidereæ, & lumine conſpicit
Te, Felix, ſapientiæ
  Heredem, cithara, atque eloquio parem:
Formatum artibus ingenj
  Te gaudet decoris tangere limites;
Laurum floribus indui
  Cernens, quam poſuit, lætior emicat.
Quid ſuſpiria ab intimo
  Ducam mæſta ſinu? In progenie en pater.

FELI-

FELICIS DE DEO E SOC. JESU

A D

CL. V. JOANNEM ANTONIUM SERGIUM

EPIGRAMMA.

NOn mihi, ſiqua forent Ludovici in funere ſcripta,
  Credideram ſicco lumine poſſe legi.
Sed canis extinctum, Sergi ſuaviſſime, Vatem;
  Nec tamen invitus, quod canis ipſe, lego.
Efficis, ut vix dum coeuntia vulnera tangi,
  Illaque narrari triſtia fata ſinam.
Nam, dum noſtra vocas priſcos in tempora Vates,
  Ac numeros, Flaccus quos velit eſſe ſuos;
Ipſe mihi abripior, blandi dulcedine cantus.
  Frangitur hac, certe fallitur, arte dolor.

FRANCISCI VALLETTAE

EPIGRAMMA.

TAm faciles elegos fundit Ludovicus, ut ipſe
  Par tibi ſit numeris, culte Tibulle, ſuis;
Auguſti dignus potius vel vivere ſæclo:
  Pierias artes ſic coluiſſe juvat.
Innocuiſque jocis jungit ſed ſeria, & arcet
  Turpia, non licitis ſparſaque verba modis.
Et caſtis Muſis meritum jam reddit honorem;
  Pellit & impuros ex Helicone ſonos.

JOAN.

JOANNIS BAPTISTAE BOTTI E SOC. JESU

PHALEUCIUM.

FElix ingenium, diſerta Pallas,
Morum ſimplicitas, pudor, decuſque,
Et quantum ſimul elegantiarum
Sinceri Charitum ſovent amores,
Et quantum ingenuæ Sodalitatis
Sacri Lojolidum tenent receſſus,
Lugete ah! Lacheſis manu rapaci
Avulſum Patriæ ſinu Sodalem;
Cui me de tenero dicavit ungui
Mens, uſus, pietas, amor, fideſque:
Lugete; ah! rapuit doloſa tabes,
Per venas tacite hinc & hinc pererrans,
Meæ partem animæ, meæque primas
Cyrrhæ delicias, ſuperbiamque.
Ergo nec Botane, nec ipſe Chiron,
Nec Phœbus medica potens ab arte
Vim ſævi valuit domare morbi,
Dum currens niveis Diana bigis
Et toto latuit novena gyro,
Et toto novies recrevit orbe?
Lugete; ah! miſerum fluente palla,
Turbato illacrymans Thalia crine,
Sciſſa & Socraticos Minerva cultus,
Nigranti dolet obrutum favilla
Splendorem, columen, ducem, parentem.
Heu ſplendor gelidis opertus umbris!
Heu verſum columen palæſtræ avitæ!
Heu dux, & pater, ingruente raptim
Orco, flebiliter jacet peremptus!
Sed nullo perimi furore nomen,

Ac nulla pote ſorte funerari;
Invito maneat ſuperſtes Orco.
Et ſi qùid pietas habet verendum,
Hoc, hoc, obſequio celebriore,
Victuris recolat perenne chartis.
Nec raptum Lacheſis manu furenti,
Nec triſti gemat obrutum favilla,
Sed noſtrum memoret ſub axe utroque
Splendorem, colùmen, ducem, parentem.

FELI-

FELICIS DE DEO E SOC. JESU

ELEGIA.

QUam, dolet, illacrymans longævæ Nata parenti,
Candida de mæſto dum legit oſſa rogo:
Dumque levi cineres inſpergit rore, ſupremum
Ingeminans, lingua deficiente, Vale;
Tam dolui, LUDOVICE, tuo cum rite ſepulcro
Aſtarem, ac juſto fungerer officio:
Et nunc exanimes miſere complecterer artus:
Oſcula nunc, fidei pignora certa, darem.
Nam te dum; lacrymas inter, gemituſque tuorum,
Flebilis ah! tacito clauderet urna ſinu;
Illo viſa mihi tumulo Romana Poeſis,
Et pariter Phœbus, Pierideſque tegi;
Illic dulce decus, cultuſque, & graſia condi,
Quæcunque ingenuis artibus ante fuit.
Vos ego, Pierii colles, te, conſcia luctus
Pimpla mei, Aoniæ vos ego teſtor aquæ:
Dicite, ſi lacrymis potui, ſi parcere votis;
Quamquam cum lacrymis irrita vota forent.
O utinam, dixi, quodcunque hoc vivimus ævi,
Tanto adjeciſſent provida fata Viro!
Utilius, numero noſtrorum demta dierum,
Illius auxiſſet pars bene multa dies.
Nam quid ego, ingratum terris, & inutile pondus,
Hoc dubitem fato ſuppoſuiſſe caput?
Occiderim: multis de millibus occidet unus;
Deteriuſque hominum non erit inde genus;
Ille tamen nulli non flebilis, omnia ſecum
Et decora, & pariter gaudia noſtra tulit.
O ubi, Parthenii decus immortale Lycei,
Flos Vatum, ac noſtræ gloria gentis ubi es?

Felix

Felix, qui nullo quondam te noveras uſu!
  Extinctum certe mitius ille dolet.
Nos, quibus affari coram, quibus ora tueri,
  Atque una tecum vivere poſſe datum eſt,
Novimus experti, quantum mors, neſcia flecti,
  Invideat terris, te pereunte, Bonum.
Novimus ingenuo rectos in pectore ſenſus,
  Una quibus Pietas lexque, moduſque fuit.
Novimus & blando perfuſos nectare mores:
  Molliaque, ac nullis aſpera verba minis:
Inceſſumque, habitumque omnem, quem rite putarim
  Exemplo Charites compoſuiſſe ſuo.
Ipſa, reor, Virtus non ore decentius ullo
  Se tegat, humano ſi velit ore tegi.
Sic oculos, ſic illa manus, ſic geſſerit ora;
  Qualibet inceſſus parte decorus erit.
Talis eras, LUDOVICE; tui nunc triſtis imago
  Una ſuper, quam non deleat ulla dies.
Hanc Dolor, hanc & Amor pinxit, quæ credita nobis,
  Abditaque in memori eſt, ſemper habenda, ſinu.
Iſthic vive diu, qui noſtra in gaudia natus,
  Vivere jam noſtras incipis in lacrymas.

FRANCISCI DIONYSII PONTI E SOC. JESU

ELEGIA.

SI Pietas , ſi dia Fides , ſi debita Laurus
Immites poſſet demeruiſſe Deas,
Non ego te , funuſque tuum , LUDOVICE , dolerem,
Nec biberet lacrymas flebilis urna meas.
Aſt eheu ! nec fata tenet properantia virtus,
Addita nec doctis laurea ſacra comis.
Fallimur ? an conceſſa diu ſua dona repoſcunt
Numina , jam proprio reſtituenda loco.
Tam bene qui ſuperos cantu referebat olores
Scilicet , & puris moribus Indigetes,
Hunc neque mortales haurire diutius auras,
Nec decuit miſeros incoluiſſe lares.
At nos , immenſi ſolamina parva doloris,
Quæ de te ſuperant, o LUDOVICE , manent.
Ora manent , moreſque, & blandæ gratia linguæ,
Quæ noſter memori pectore ſervat amor;
Et ſacri cineres, & quæ turbata dolore
Muſa ſedet paſſis ad tua buſta comis.
Nec minus illa gemit , quam cum laniata capillos
Te dedit heu ! mæſto , culte Tibulle, rogo.
Stant Elegi juxta , miſeraque in ſorte fatentur,
Te duce non caſtos dedidiciſſe modos.
Et tua ſuſtentant manibus , ſubrepta ſepulcro,
Et relegunt madidis carmina luminibus:
Carmina , quæ magni cum ſint monumenta Poetæ,
Sunt quoque Virtutis maxima ſigna tuæ.
Qualis enim fulvas gremio quas condit arenas
Spectanti prodit lucidus amne Tagus;

Sic



DOMINICI LUDOVICI
CARMINUM
LIBER I.

ELEGIAE VARIAE.

ARCADIAE LAUS.

ELEGIA I.

PAuſilypi colles, & amabilis ora Veſevi,
Ora mihi, & muſis officioſa meis,
Quamquam nulla tenent (fateor) me tædia veſtri,
Attamen hinc aliò cedere cogit amor.
Me nemora Arcadiæ dudum, ſaltuſq; Lycei
Invitant, longas increpitantque moras.
Nec patriæ fines, nec me via longa retardat:
Eſt pretium longæ, quod jubet ire, viæ.
Illic, ut perhibent, nulla eſt ſine numine ſilva,
Paſtorum cantu gramina nulla carent.

Biblioteca Nazionale Napoli V.E. III

Auritæ quercus, & amantes carmina lauri,
  Doctaque conſuctos antra referre modos.
Dum fugit, & ſaxis, ripiſque immurmurat unda,
  Dum levis arboreas ventilat aura comas;
Utraque paſtores gaudet ſociare canentes;
  Auditoſque refert illaque, & illa ſonos.
Aſpicias paſſim junctis per mutua palmis
  In gyrum Juvenes ducere ab arte choros.
Ipſe tamen pubem medius Pan magnus ovantem
  Ducit, & in numerum flectere membra docet.
Dum canit ipſe, ſilent, pendentque canentis ab ore;
  Mox eadem ad calamos, dum ſilet ipſe, canunt.
Ingeminant hilares circum nemora avia cantus,
  Totaque feſtivis vocibus æthra ſonat.
Interea faturæ ſua ducunt otia capræ,
  Umbraque jam paſtas gramine mulcet oves.
Nec metuunt nocuas lætis in ſaltibus herbas,
  Nec, mala ne tacitam vipera ſervet humum.
Non illic nimio conturbat frigore cælum
  Triſtis hiems, alibi ſit licet illa gravis.
Arva nec immodico ſiccat ſol fervidus æſtu,
  Sed jubet apricos purius ire dies.
Ergo ager ille meos merito ſibi poſcit amores,
  Deliciis tellus me rapit illa ſuis.
O ego cum primum ſilvas, campoſque beatos,
  Paſtorum ſolitos aſpiciamque choros;
Elyſii videar nemoris penetrare receſſus,
  Elyſio aut ſi quid pulchrius orbis habet.
Quod ſi forte meam non dedignantur avenam,
  Nec pudor eſt, ſacris me ſociare choris;
Ipſe etiam calamis imitabor Pana canentem,
  Diſcet Mænalios tibia noſtra modos.

LU-

LUDUS LATRUNCULORUM.

ELEGIA II.

ME non invito, ducat ſua quemque voluptas,
Dummodo nil contra juſque, piumque velit;
Bella mihi arrident, ſed ludicra bella latronum,
Ingenio potius, quam peragenda manu.
Neve latrocinii dubio ſub nomine quiſquam
Aut furta, aut ſcelerum monſtra ſubeſſe putet.
Innocuum ludi genus eſt, certaminis inſtar,
Binæ ubi ſtant acies, ſub Duce quæque ſuo.
Quodque aſtant Regis lateri, dixere latrones:
Hæc illos tali nomine cauſſa notat.
Menſa patet, præſtatque vicem luſoria Campi:
Diſcolor hîc belli munera miles obit.
Namque bis oﬅono peraguntur milite bella:
Diſpoſitis acies ſtat ſua quæque locis.
Prima tenent Pedites Campi loca, primaque tentant
Prœlia, & hinc Niveus se movet, inde Niger.
Poſtremo Proceres aſſiſtunt ordine Regi,
Cum Vexilliferis unus & alter Eques.
Hinc atque hinc Elephas turrita mole tenet ſe
Arduus, & geminum claudit utrinque latus.
At Regina Ducem ſtipat, ceu fortis Amazon,
Unaque, dum res fert, agminis inſtar agit.
Jam direﬅæ acies adverſis frontibus, & jam
Prœlia collato tempus inire pede.
Non una eſt pugnæ facies, non una movendi
Militis ars: graditur tramite quiſque ſuo.
Procedunt reﬅa Pedites a fronte; nec illis
A ſemel accepta ſede redire licet.
Tranſverſa de parte tamen qui repperit hoſtem,
Occupat eviﬅi protinus ipſe locum.
Quod ſi forte Pedes virtute, aſtuque ſecundo
Jam metam, extrema ſede potitus, habet;

Continuo Proceres inter cenſetur ; & idem eſt
  Signifer, aut Elephas, aut modo factus Equus.
Sed Vexilliferis longe ſpeculantibus hoſtem
  Tranſverſa obliquum ſemita pandit iter.
Alba quidem Niveo teritur via ſemper ; at alter
  Nigranti ſemper tramite ſigna movet.
Turribus hinc atque hinc recto via limite quadrat:
  Per latera, a tergo, a fronte meare licet.
Quo tamen excurrant mandras impune per omnes,
  Seu celeri, tardo ſeu juvat ire gradu,
Puræ ſint plagulæ, nihil ut currentibus obſtet:
  Si quis obex, ultra tranſiliiſſe nefas.
At bellator Equus partem ſpatiatur in omnem
  Impiger, atque omni ex parte timendus adeſt.
Non acies obſtant illi, non mœnia : ſaltu
  Non expectato caſtra inimica premit.
Sæpe moram ſubit ancipitem, ſimiliſque ligato
  Hæret ; at adverſos obligat ipſe duos.
Ergo quæ levior fuerit jactura, ferenda eſt:
  In lucro eſt, damnum ſæpe ſubire minus.
Quid loquar, ut dubium variet fortuna favorem,
  Nunc his, nunc illis ſpemve, metumve ferens?
Quid loquar inſidias, atque aſtus mille nocendi?
  Quiſque ſtruit tacita callidus arte dolos.
Excubat in ſpeculis, & longo ſæpe receſſu
  Advenit; & prædam Signifer inde refert.
Ille refert prædam ; ſed quem non ſenſerat, hoſtis
  Præda miſer taciti non minus ipſe manet.
Seſe in confertas acies tranſmittere ſaltu,
  Magnum aliquid tentans eminus, audet Equus.
Ah miſer ! inſidias qui non adverterit : olli
  Nec ſtatio tuta eſt, & via clauſa fugæ.
Si Peditem, ſi forte infeſtum nactus, ab illo
  Concidit; indecorem ſic periiſſe pudet.
Quid ſtruit hîc Regina? neci quem deſtinat? ictu
  Signiferum obſervans, aut Elephanta petit.

Non

Non impune petet: neque enim morientur inulti:
Occupat incautam, & damna rependit Eques.
Ille quidem tacitus vicina in ſede latebat,
Laturus ſubitam, ſi foret uſus, opem.
Ecce autem effuſis hinc atque hinc agmina caſtris
Vincendi ſtudio, qua via facta, ruunt.
Jam Niger in prædam venientem decipit Album,
Candidus oppoſita jam ferit arte Nigrum.
Quique videbatur periturus, perdidit hoſtem,
In laqueos, laqueos dum fugit ille, cadit.
Aſpera miſcentur toto certamina campo,
Fit fuga, fit cædes: hic ferit, ille cavet.
Sternuntur Pedites paſſim, Proceresque viciſſim,
Jam ſibi rem factam quilibet eſſe putat.
Nil tamen efficitur, ni Rex captivus opima
Det ſpolia, atque hoſtis præda ſit ipſe ſui.
Rege ſtat in ſolo belli fiducia: Rege
Incolumi, ſtabit palma; cadente, cadet.
Ergo illum ſtipant omnes, atque omnis in illo
Stat comitum ſollers cura, metuſque vigil.
Cum vero infelix fatis urgetur iniquis,
Et minitans telis imminet hoſtis atrox;
Hoc habet, exclamat victor: Rex incitus hæret;
Nulla fuga eſt, nuſquam tutus ab hoſte locus.
Hîc finis pugnæ: conſurgitur: alter honorem,
Et comitum plauſus; dedecus alter habet.

FONTANALIUM AQUARUM LUSUS VARII.

ELEGIA III.

JAm pretium eſt ruris, cunctoſque vocatur in uſus
Docta magiſterium Naïas omne ſequi.
Namque vel invite ſua per tormenta jubetur
Ludere, & aërias currere ſæpe vias.
Tum ſpectare labor ſimul eſt, & mira voluptas,
Dum labyrintheos implicat unda jocos.
Illa ſalitque, caditque, vicemque experta, ruinas
Aut amat, aut viſa eſt non timuiſſe ſuas.
Carcere nam cæco prorumpens liber in auras
Ipſe ſua plaudit jam ſibi rivus aqua.
Inde ſonos vario ludens modulamine fingit,
Ceu det lætitiæ libera ſigna ſuæ.
Artifici lituos imitatur, & organa pulſu,
Quoſque refert auris tibia plena modos.
Si jubeas avium cantus, numeroſque referre;
Fontibus aſſuetas eſſe putabis aves:
Si citharæ ſonitum; clamabis Ariona rurſum,
Fluctibus in mediis tangere fila lyræ.
At ne multiſoni ſtupeas miracula fontis:
Quid non humano pareat ingenio?
AEnea ſi tubuli clavis moveatur ab arte,
Arbitrium lymphæ dextra moventis habet.
Et pluit invito cælum Jove; cumque ſerenus,
Aër nube vacet, non vacat imbre ſolum.
Quiſquis es intereà, tenet hîc quem luſus hiantem,
Quique oculis undam combibis, aure ſonum,
Ah cave, ne petat inſidiis nil tale timentem,
Mirantemque ſuis occupet unda jocis.
Rimoſo nam forte ſolo, nam forte propinquis
Parietibus tacitos apparat illa dolos.
Quæque latet taciturna, ſuo mox tempore furtim
Proſilit, & ſubito verberat imbre latus.

Nec

Nec modus, aut requies, nec quem fugiaſve, petaſve
  Eſt locus: inſidias nam locus omnis habet.
Hinc tibi terga ferit, liquidis hinc ora ſagittis
  Obruit, anguſto perſequiturque lare.
Quamvis pura fluat, nitidoque argentea cursu,
  Ex hominum ingenio fallere diſcit aqua.
Quæ primum blandita joco, mox decipit aſtu:
  Heu nullis tutum credere blanditiis!

SINGULA ANNI TEMPORA LITTERARIIS JUVENUM STUDIIS OPPORTUNA.

VERNUM TEMPUS

E L E G I A IV.

ANni prima novi pars, & jucundior ætas
  Te monet officii, prima juventa, tui.
Commoda Palladiis curis, & commoda Phœbo,
  Pieridumque choro tempora veris eunt.
Nec fervet nimio tellus exuſta calore,
  Nec nimio tellus frigore vincta riget.
Aſt auræ, apricis motæ de collibus auræ,
  Quas placido Zephyrus concitat uſque ſono,
Oblectantque, juvantque animos, falluntque laborem,
  Nullaque de ſolido deperit hora die.
Terraque, quæ flores, & latis gramina campis
  Fundit, odorato conſpicienda ſinu;
Virtutum flores Juveni commendat, & illis
  Exornanda ſimul pectora culta docet.
Si non in flores vernus ſeſe induat annus,
  Nulla ſuo ſterilis tempore poma dabit:
Si non ſe ſtudiis animus primo excolat ævo,
  Vita ſequens poterit laudis habere nihil.

AESTATE
CESSANDUM A STUDIIS NON ESSE.

ELEGIA V.

CUr aliquis rabiemque Canis , flammaſque Leonis
  Damnet , & ardentes ſolis ab igne dies?
Et languere caput miſere cauſſetur , & artus,
  Prætendens culpæ ſplendida verba ſuæ?
Cernis ut humanæ dum captat commoda vitæ,
  Aſſuetum peragit quiſque libenter opus?
Retia Piſcator curat ſua , Meſſor ariſtas;
  Nec timet æſtivos ille, vel ille dies.
Arma gerit Miles , propellit Navita puppim;
  Languida dum multus pectora ſudor obit.
Solus iners igitur fuerit , qui Palladis artes,
  Virtutis blando captus amore , colit?
Solus in ignavo corrumpi corpore mentem
  Aut ſinet , aut culpa deteriore volet?
Quam bene , dum Sapiens morum præcepta recludit,
  Diſcere formica nos præeunte jubet.
Illa per æſtatem , ſtudio fallente laborem,
  In cava convectas horrea condit opes.
Atque hiemi , atque inopi ſic proſpectura ſenectæ
  Sedula per longas itque , reditque vias.
Ah pudeat, ceſſare homines, dum bruta labori
  Inſtant, exemplis erudiuntque ſuis!

AU-

A U T U M N U M

SINE BONA LITTERARUM FRUGE TRANSIGERE NON DECET.

E L E G I A VI.

TU quoque Palladiæ ſtudium, Pomona, juventæ
Suggeris, & partes conciliantis agis.
Ipſa quidem viridi crines redimita corona,
Et matura ſuo tempore dona ferens,
Pæne fatiſcentes duro ſub faſce laborum,
Ut relevent animos, in tua rura vocas.
Non tamen ignavæ ſectentur ut otia vitæ,
Et vacuum lucro tempus abire ſinant:
Sed magis, ut vitam, trepida procul urbe, quietam
Vivant; exemplis proficiantque tuis.
Undique nam lætos mirati fructibus agros,
Pomaque ab arboribus pendula quæque ſuis;
Non daret Autumnus, dicent, pro tempore fructus,
Mœreret ſterili ſqualida terra ſinu;
Ni foret ingenti multum verſata labore,
Culta per artifices ni foret illa manus.
Sic niſi culturæ patientem accommodet aurem,
Temporaque in ſtudiis cauta juventa terat,
Languebit ſegnis; ceu pomis arbor ademptis,
Ceu ſine fronde nemus, ceu ſine fruge ſolum.

HIE-

HIEMEM AD STUDIA TEMPUS APTISSIMUM.

ELEGIA VII.

QUamquam pigra gelu, & rebus minus apta gerendis
Horrida, triſtis, iners eſſe videtur hiems;
Illa tamen ſtudiis eſt opportuna Minervæ,
Nec Muſis anni pars favet ulla magis.
Longior aſſueto dum nox eſt, dumque nivales
Gyro bruma dies interiore trahit,
Quid facias? prodire domo jam ventus, & imber,
Jam prohibet multâ terra ſepulta nive.
Non calamo volucres, non hamo fallere piſces,
Non licet undoſas currere puppe vias.
Nulla pruinoſos oblectamenta per agros
Invitant hilares ducere rure dies.
Ergo domi ſubſiſte, domo contentus, & igni,
Palladis ornari quiſquis ab arte cupis.
Sub lare ſecurus nullo impediere tumultu,
Et tua juris erunt otia docta ſui.
Nec minus interea ventos ridebis, & imbres,
Ridebis gelidas, igne juvante, nives.
Nec tamen ante focum ſabella pectus inani
Paſcere, vel Bacchi munere lentus ames.
Sed ſummo te mane, cavâ te nocte lucerna
Intentum libris cernat & ipſa vigil.
Non placet aut Baccho, aut nugis addicta juventus,
Sed quæ Chryſippo, aut Socrate tota madet.

PUE-

PUERORUM DISCIPLINAM ESSE INDULGENTIA TEMPERANDAM.

ELEGIA VIII.

NOn ſi Palladio jubet inſudare labori,
Noſtra tamen pueros ludere Muſa vetat.
Et ſua ſunt etiam gravibus danda otia curis,
Et Jove Saturnum frangere ſæpe licet.
Ah valeat, primum juvenes quicumque ſub ævum
Et factis velit, & moribus eſſe ſenes.
Turpe quidem fuerit, ſi cui vix computat annos
Dextra, tamen partes ardelionis agat.
Quis niſi non ſanus, jam multa ætate relictas,
Deſueto repetat more, animoque nuces?
Iſta decent pueros, quos non dum ſeria poſſunt
Indociles longa detinuiſſe mora.
Ergo ubi jam ſua ſunt duro dictata Magiſtro
Reddita, & ad juſſum penſa diurna modum;
Quid vetat a ſtudiis vacuam dare luſibus horam,
Ne mens aſſiduo fracta labore cadat?
Dum licet, ingenui, me concedente, puelli
Ludite, ſed veſtri ſint ſine fraude joci.
Sint veſtri ſine fraude joci: ſincera voluptas
Eſt ea, cui nulla eſt culpa, doluſve comes.
Non omnis placeat ludendi forma, ſed illa,
Quæ bene moratos, ingenuoſque decet.
Tangere ne lubeat, damnoſa eſt alea, talos;
Neu teneat cupidas teſſera blanda manus.
Si tibi propoſitum eſt, ludendo fallere tempus,
Falle levi potius turbine, falle trocho.
Jam pila, jam follis pugiles exerceat; atq; hic
Factoris partes, ille datoris agat.
Si piger es, ſedeas, aut ludens bella latronum,
Aut ubi bis ſeno calculus hoſte perit.
Nec leviora vetem ludorum nomina: quamvis
Sint levia, at pueris qualiacumque placent.

Sæpe micant digitis, & par clamatur, an impar
Sit numerus: compos pignoris augur abit.
Sæpe per Empuſam, dum pes eſt penſilis alter,
Hac illac uno ſubſiliere pede.
Sæpe oculis uni obſtructis luſere Myindam,
Quemlibet injecta captet ut ille manu.
Ignarum ſocii divexant verbere; ſed mox
Diſcedunt, avidas effugiuntque manus.
Nam ſi forte aliquis fuerit, ſi forte prehenſus,
Cogitur alterius nempe ſubire vicem.
Jam trabe ſuſpendunt oſcilla, & corpora librant
Pendula; jam quatiunt garrula ſiſtra manu.
Parva alii ſimulant nucibus caſtella quaternis,
Nam ſubterpoſitis imminet una tribus.
Hanc alacres pueri, ſpatio diſtante locati,
Dejicere, ac pro ſe trudere quiſque ſtudet.
Sortiturque oculis fortunam, & dirigit ictum;
Quotque cadunt, totidem colligit inde nuces.
Quid memorem, rauco cui nomen ab anſere, ludum!
Anſeris effigiem picta tabella refert.
Quam multas illo pueri conſumpſimus horas!
Et brevis eſt inter ludicra viſa dies.
Area diſtincta eſt variis luſoria mandris
In ſpiram, & ſigno quæque notata ſuo eſt.
Calculus in gyros, talorum interprete jactu,
It celer; at numeros computat ante ſuos.
Quod ſi jacta novem conſtabit teſſera punctis,
Hoc bene, conclamant, cedite, meta prope eſt.
Sæpe tamen metæ jam proximus, ire vetatur;
Ceu levis in ſicco cymba retenta vado.
Sæpe referre gradum, aut rurſus cœpiſſe jubetur;
Ut ſolet adverſo cymba repulſa noto.
Sed luſum ſatis eſt: pueri conſurgite: quiſque
Ad ſua jam redeat penſa. Magiſter adeſt.

PUERI

PUERILE TAEDIUM LUDI LITTERARII.

ELEGIA IX.

ERgo ego ſufficiam (juſto date verba dolori)
Sufficiam tantis ah miſer uſque malis!
Seu cum me placito ſomnus velavit amictu,
Seu cum Phœbeo ſplendet ab igne polus;
Illa ſubit mentem ſpecies triſtiſſima ludi,
Quæ mihi felices non ſinit ire dies.
Jamque minas animus refugit, jam verba Magiſtri,
Jam trepidæ metuunt verbera torta manus.
Sæpe etiam cogor medios abrumpere ſomnos,
Dum triſti reboant æra repulſa ſono.
Optavi quoties, ne lux expelleret umbras!
Neu fugerent placido ſidera victa polo!
Optavi quoties, ut Phœbi curſibus horæ
Sidereas nollent pandere mane fores!
Dicebam: deſiſte tuo, Matuta, jugali
Purpureum terris reſtituiſſe jubar.
O utinam lenti veherent te plauſtra Bootæ,
Ferret ut aſſueto tardius hora diem!
O utinam æquoreæ Nerei per ſtagna Puellæ,
Et faceret longas Tethys amica moras!
Hei mihi ſed tales fundo dum pectore queſtus,
Jam ſolito citius Lucifer ortus erat.
Cantat avis, duræ nimium prænuncia lucis;
Et finem placidæ tempora noctis habent.
Parce ſono (mihi parcis) avis prænuncia luctus;
Nomen enim luci verius illud erit.
Felix, quæ nullos ludi patiere timores,
Gaudia te quando, ludus & alter habent.
Nec te verba manent, nec verbera ſæva Magiſtri;
Plurima quæ noſtræ ſæpe tulere manus.
Sæpe etiam (memini, dolet heu meminiſſe!) flagellis
Qui miſerum peterent unus, & alter erant.

Hic

Hic ſuperimpoſitum dorſo ſuſtentat ; at ille
  Ingeminat celeri verbera ſæva manu .
Nec lacrymæ proſunt ; lacrymas finxiſſe putamur ,
  Quas nimium veras excutit ipſe dolor .
Quis fuit ingenuas qui primus protulit artes ,
  Juſſit & ad certos edere verba modos ?
Ille quidem ingenuos voluit corrumpere mores ;
  Invidit noſtris improbus ille bonis .
Quid prodeſt miſero vitam traducere cultu ,
  Seque domi totos claudere velle dies ?
Eſte procul libri , quique hos tractatis amico
  Pectore ; triſtitiæ maxima cauſſa meæ .
Quam bene ſimplicitas homines antiqua regebat ,
  Cum ſibi quiſque ſuo marte Magiſter erat !
Nullus ad inviſos conſueto tempore ludos
  (Temporis o priſci gaudia !) ſigna dabat .
Nondum clamoſi flagra irrequieta Magiſtri
  Audierat , palmas præbueratve puer .
Si licet o , noſtri procul hinc diſcedite mores :
  Si licet o , nobis mos precor ille redi .

SIRE.

SIRENES MUSARUM AEMULAE.

E L E G I A X.

NOn ſi carminibus præſunt, numeriſque Camenæ,
 Noſtra tamen ſperni carmina poſſe putent.
Nos neque Pimpleis, nec Phœbo cedimus ipſi,
 Aut ſi quid Phœbi Numine majus habent.
Quis vada Sirenum? quis dulces neſciat artes?
 Et tenerum, facili quod fluit ore, melos?
Si libuit cantu celerem retinere carinam;
 Conſtitit in medio fixa carina ſalo.
Si libuit duros nautas mulcere canendo;
 Hæſit, & inceptum nauta remiſit opus.
Nec venti faciles implebant vela, nec undas
 Urgebant numero brachia pulſa ſuo.
Quandoquidem & ventos, & pulſos carmina remos,
 Jucunda poterant detinuiſſe mora.
Anne etiam hoc certent vates auferre Camenæ?
 Hîcne etiam quicquam juris habere velint?
Adde, quod Aonios nunquam Sirenes adire
 Tentarunt colles, Caſtaliumque lacum.
Pauſylipum Muſæ, Sebethi & fluminis alveum,
 Euboicumque ſinum, limina noſtra, petunt.
Nec nos Permeſſi, nec nos Heliconis egemus;
 Quid loca, quid Muſas in loca noſtra rapit?
Sed tamen, illectis blando modulamine nautis,
 Dicimur incautas perdere ſæpe rates.
At quid non audet vitioſa licentia vatum,
 Fabulaque argutis invidioſa modis?
Scilicet hac vates, hac luditis arte Camenæ:
 Fallaces, veſtra ſed tamen arte, ſumus.
Nec vatum nos turba movet, nec Pindus, & unda
 Caſtalis, aut Phœbi, limina veſtra, lares.
Eſt hîc Pauſilypus, cui cedere Pindus, & ipſa
 Cedere vel Tempe Theſſala ſponte velint.

Sunt

Sunt centum, aut plures Sebethi e gurgite Nymphæ,
  Nam centum, aut plures alveus ille tenet.
Dumque ſuos audit Crater, & Olympia Vates,
  Vatibus hæc plaudit, nec minus ille ſuis.
Hîc cecinit quondam patria Sincerus in acta;
  Hac olim magnus vixit in Urbe Maro.
Nam quid Papinium, quid te, Torquate, canentem,
  Quid referam numeros, blande Marine, tuos?
Exiguæ numerantur opes: qui divite cenſu
  Affluit, eſt numeri neſcius ipſe ſui.

NEAPOLITANI QUIDAM POETAE.

ACTIUS SINCERUS SANNAZARIUS.

ELEGIA XI.

PAuſilypi colles, & collibus addita Siren,
  Caraque natalis conſcia tecta mei:
Ut lætus vetereſque lares, notoſque penates
  Aſpicio, & patria, qua licet, urbe fruor!
Hæc olim noſtræ prima incunabula muſæ,
  Cum primum Aonia cœpimus ire via.
Luſimus hîc Elegos, Piſcantum hîc luſimus artes,
  Et didicit varios unda referre ſonos.
Primus ego Euboica cecini Piſcator in acta,
  Plauſit & ingenio Tethys amica meo.
Atque ait, en iterum in terras formoſus Apollo
  Piſcator remeat, qui modo Paſtor erat.
Litoream dulci meditatur arundine muſam,
  Agreſtes cecinit ſed prius ille Deas.
Dum caneret noſtram ſocians Meliſæus avenam,
  Duceret & facili lætus ab arte choros,
Deſeruere ſuum Nymphæ Sebethides alveum;
  Nereides pelagus deſeruere ſuum.
Aſſuetoſque ſinus, luſuſque oblita priores,
  Edidicit teneros blandula turba modos.

Majus

Majus opus movi; nec dedignata Maronis
Muſa cothurnata præcinuiſſe lyra.
O quoties, audit Neſis dum carmina, nollet
Pauſilypum ſubita deſeruiſſe fuga!
O quoties viſa eſt pulcherrima Mergelline
In numerum celeri ſubſiluiſſe pede!
Jam juga Pauſilypi, Megareque, & Olympia partus
Virgineos norant reddere, & antra Deum.
Perpetuo noſtras optabat vivere muſas
Parthenope, tantum quæ peperere decus.
Pone metum Siren; etiam poſt fata ſuperſtes
Vivam; nec manes læſerit urna meos.
Quin, Pindi ſi vera monent oracula, vates
Innumeros video carmina noſtra ſequi;
Qui me, quique meos refcrant ad nablia cantus,
Nec patriæ laudes interiiſſe ſinant.
Atque aliquis dulceſque modos miratus, & artem,
Non melius, dicet, Phocidos antra ſonant.
Hæc ego vaticinans; Vatique arriſit Apollo,
Verbaque noſtra ſuum pondus habere dedit.

EJUSDEM SINCERI LAUS.

E L E G I A XII.

NOn ego te, Sincere, ſuo quo Vate ſuperbit
Parthenope, tacitum præteriiſſe velim.
Tu geminam carpis Pindi de vertice laurum,
Et meritum gemino cingis honore caput.
Tu modo Pimpleis immiſces Tibridis undas,
Et modo, quas Thuſcus devehit Arnus aquas.
Dexter in omne genus, patria ſeu voce canendum,
Seu latia, ex omni carmine nomen habes.
Magna quidem laus hæc, ſed non & ſola; nec illi,
Si verum libeat dicere, ſumma fuit.

Hæc laus, hæc potior, quod non exempla ſecutus,
Exemplum reliquis vatibus eſſe queat.
Ipſe ſequenda ſolo poſuit veſtigia princeps;
Orbita qua certum nulla terebat iter.
Primus Olympiaca cecinit Piſcator in acta
Sincerus, Phœbi non renuente choro.
Primus ab Aonio deduxit vertice Muſas,
Juſſit & æquorei litoris eſſe Deas.
Nam Phœbo indulgente, olim conceſſa Maroni
Fiſtula, Sincero fiſtula ſorte data eſt.
Quaque olim Paſtor Corydon cantabat Alexin,
Piſcator cecinit, te Galatea, Lycon.
Quaque per apricos colles mulcebat in æſtu,
Et potum paſtas ire jubebat oves;
Illa eadem, quamvis mutos, ad retia piſces
E mediis dulci carmine traxit aquis.
Tu quoque Sincero debes nomenque, decuſque
Arcadia, & ſacro Mænalis ora jugo.
Mænalios etenim Campana per oppida verſus
Arcades ut canerent, hunc habuere ducem.
Hic docuit numeros Tyrrhenis verſibus aptos,
Syllaba queis liquidum dat duodena melos.
Arcadia Auſonios ultro migravit in agros,
Etruſco diſcens flectere verba ſono.
Et Grajis aſſueta modis, aſſueta latinis,
Viſa ſibi noſtro dulcius ore loqui.

JOAN.

JOANNES BAPTISTA MARINUS.

ELEGIA XIII.

ILle ego, qui puerum celebravi luſor Adonim,
Et cecini fletus, qui, Cytherea, tuos.
Quid fugis auditum nomen, ceu crimina? Vati
Cur noceat, quod jam muſa retexit opus?
Me mihi tunc Phœbi calor abſtulit. Heu nimis audax,
Ocyor ingenii quo tulit aura, ſequi!
Nam quamquam plectro abſtinuit mea muſa latino,
Ingenio certe non minor illa fuit.
Confer enim mecum Venuſini carmina Vatis,
Barbitos Auſoniæ certet Etruſca lyræ.
Naſonem confer; fecundo pectore, dicet,
Æquavit laudes jam reor ille meas.
Par fuit ingenium, Phœbeique impetus œſtri,
Impatienſque moræ par quoque vena fuit.
Materies utinam non par utrique fuiſſet!
Laudibus ingenii detrahit illa mei.
Tu pudor es, facinuſque meum, tu cauſſa doloris
Plurima, tu ſemper crimen, Adoni, meum.
Heu pudet, inſignis noſtra quod laude ſuperbis,
Carminibus celebrem te pudet eſſe meis.
Trux aper in ſilvis vitam tibi ſuſtulit olim;
Ipſe dedi: ſæva ſævior ipſe fera.
Illis mœſta Venus fleviſſe in montibus; illic
Dicitur effuſas dilaceraſſe comas.
Debentur vivo lacrymæ tibi: vita ſuperſtes
Impia; non flendus, cum morereris, eras.
Cypridis auſpicio floris ſumpſiſſe figuram
Diceris, & tabo concolor eſſe tuo.
Plurima ſed blande fecit te ſpina rigentem:
Hei mihi, quam multos perdidit illa viros!

Cur ego Theſpiadas tam non ſapienter amavi?
  Cur umquam vati cognita Pimpla mihi eſt?
Ite procul verſuſque leves, molleſque Camenæ,
  Et nimium damnis cognita plectra meis.
Et tu Phœbe Pater, jucundi carminis auctor,
  Tu quoque damnoſas Phœbe relinque lyras.
Utilior fuerit, quæ palmas irrigat, & quæ
  Purior illimi gurgite vena fluit.
Sed quid ego, aut Muſas, aut cognita flumina Pimplæ,
  Aut culpem Aonij plectra, lyramque Dei?
Non ea Caſtalii laticis, non veſtra, Camenæ,
  Non erat ingenii culpa; canentis erat.
Si quis habes tales, damnata poemata, verſus,
  Projice in ardentes carmina noſtra rogos.
Et dic: inſanos quæ tam male ſuſcitat ignes,
  Ne perimat, pereat pagina digna rogo.
Invitus moneo; facies invitus & ipſe:
  Sed pietas ambos, juſtaque cauſſa movet.
Heu ſcelere oblectat! ſcelus eſt quod amatur in illo,
  Debuerant odia exurgere, ſurgit amor.
Dulce malum, fateor, caſtis damnoſa voluptas
  Mentibus; illecebris inſidioſa ſuis.
Decipit incautos, tegitur quæ vipera flore:
  Decipiunt dulci mixta venena mero.

PUBLIUS VIRGILIUS MARO.

ELEGIA XIV.

TU quoque tu doctos inter Sirenis Alumnos
  Jure venis, Pindi fama, decuſque Maro.
Nec jam te nobis natalis Mantua, nec jam
  Invidiſſe ſuo Mincius amne velit.
Si non prima tuæ dedimus cunabula vitæ,
  Buſta tamen patriæ pignus amantis habes.

No-

Noſtra tuum referunt etiam nunc litora nomen,
Claraque quæ cineres continet urna tuos.
Mantua Virgilium terris conceſſit, Olympo
Siren; illa diem præſtitit, iſta decus.
Altera naſcenti cunas dedit; altera cultum:
Illaque vagitus audiit, iſta tubam.
Hæc loca tractantem citharas, & bella canentem
AEneadum, ſtudiis detinuere ſuis.
Pauſylipi colles teſtor, colleſque Veſevi,
Et quæ præterea litora pontus habet.
Illic dum faciles Paſtorum cantat amores,
Ruraque qua veniant arte colenda, docet;
O quoties moto plauſerunt vertice colles,
Plauſerunt reſono litora curva mari.
Ipſe tibi Dircæus olor, tibi ceſſit Arion,
Dum canis Orphea dulcius arte melos.
Quin & Dircæum poſſes, & Ariona, & Orpheum
Mirantes numeris detinuiſſe tuis.
Ex illo ſemper ſtatio gratiſſima Muſis
Hic locus, & vatum carmina ſemper habet.
Scilicet atque auræ, atque undæ, valleſque propinquæ
Virgilii argutos edidicere modos.
Forſitan & Vatis cineres, quæ proxima ſervat
Urna, Aganippeæ ſemina meſſis habet.

 ADMO-

ADMONITIO.

Plura quidem Auctor de Papinio, Italio, ceteriſque Neapolitanis Vatibus ſcripſerat, quæ interciderunt. Comperta hæc in ſchediis de Torquato Taſſo, & Scipione Capycio Fragmenta ſubjicimus.

DE TORQUATO TASSO.

FRAGMENTUM.

O Tantum Heroo dicendum carmine Nomen
Sirenis decus, atque Italæ, Torquate, Camenæ
Arbiter; huc ades o: meritos dum reddit honores
Fama tibi, tollitque tuas ad ſidera laudes.
Donec erunt Muſæ, numerique, & Apollinis artes,
Auſoniis donec nomenque, & gloria plectris,
Inclyta te Siren tantum ſe jactet Alumno,
Quantum Smyrna ſuo, quantum ſe Mantua jactat;
Altera Virgilio quamquam ſe attollat, Homero
Altera. Mæoniis quando tua Muſa cothurnis,
Mantoæque tubæ non conceſſura, ſecundum
Indignata decus, primos ſibi poſcit honores.
Nam neque Achilleas Trojæ ſub mœnibus iras,
Aut iterum Latio ſurgentia Pergama Regno
Fama Palæſtinis Solymea ex Urbe triumphis
Prætulerit. Jamque Atrides, jam Troius heros
Se Regi ſenſere pares, qui templa Sionis
Aſſeruit, ſacrumque polo plaudente Sepulcrum.
Nec magis Argolico reſonat Parnaſſia rupes
Carmine, nec magis a cantu Pimplea Latino,
Quam numeris Torquate tuis: quos ipſa veretur
Ilias, AEneiſque, chorus quibus omnis ovantum.
Aſſurgit vatum, & veſtigia pronus adorat.

DE

DE SCIPIONE CAPYCIO

FRAGMENTUM.

Se comitem adjungit, ſimilique Capycius æſtu
  Virtutum ſuperat nobilitate genus.
Pace tua, quamvis alto canis ore, Lucreti,
  Verbaque nativo tincta lepore nitent;
Pace tua dixiſse velim: ſi priſca tuliſsent
  Sæcla Virum, fama non minor iſte foret.
Cedimus & ſæclis, & priſco cedimus auro,
  Ingenio, & numeris jam reor eſse pares. &c.

IN OBITU CLEMENTIS XI. PONT. MAX.

E L E G I A XV.

Hoc erat, Aonio mœſtæ quod vertice Muſæ
  Reddebant querulos per loca ſola modos.
Nec roſa purpureo crines ornabat honore,
  Picta nec aſſyrio murice palla ſinus.
Sed pallens viola, & ferruginei hyacinthi
  Triſtia lugubri tempore ſerta dabant.
Scilicet heu! magni Clementis funera Divas
  Perculerant, lætos abſtulerantque modos.
Scilicet hoc fatum lauros mutare cupreſſu
  Juſſerat; hæc tanti cauſſa doloris erat.
Hinc loca Pieriis nuper celebrata choreis,
  Protinus abjectis conticuere lyris.
Quæque ſuos læto fundebat gurgite rivos,
  Aruit obſtructo Caſtalis unda lacu.
Et nemora, & colles, & amœna Heliconidis arva
  Non niſi perpetuus ſqualor, & horror habet.
Nullaque vox reſonat, niſi quæ ſuſpiria fundat,
  Singultuſque imo e pectore mœſta trahat.
Te juga Parnaſſi, querulo te Pimpla ſuſurro,
  Te, Clemens Regum maxime, cuncta gemunt.

Cuncta gemunt: quis enim lacrymis det frena? dolorem
Quis premat, in tacito contineatque ſinu?
Tu tamen interea ſuperas evectus in oras,
Unde humiles celſa deſpicis arce plagas,
Si qua fides, cælo frueris, Numenque beato
Lumine, divinas conſpicis inter opes.
Mortaleſque vices, humanaque gaudia rides,
Et ſtrepitum, & fluxas, quas habet orbis, opes.
Nos gemitum, & mœſto trahimus ſuſpiria corde,
Nos lacrymis cineres ſpargimus uſque tuos.
Tu bonus o, ne ſperne animi pia ſigna dolentis:
Utque olim, pectus nunc quoque Patris habe.

ROMA CLEMENTIS OBITUM DEFLET.

E L E G I A XVI.

Clemens divini Paſtor gregis, has mihi de te
Exuvias mœſti funeris urna refert?
Hæccine ſpes, noſtro quæ pectore multa virebat,
Spondebatque hilares ad mea vota dies?
Occidis heu! morienſque doces, mortalia nunqua...
Regna diu firmo poſſe manere loco.
Nam licet imperii ſteterit viceſimus annus,
Hei mihi, dum recolo, ceu brevis hora fuit!
Tu cælo maturus obis, humanaque linquens
Pondera, ſecurâ tendis in aſtra viâ:
Quaſque potens aliis quondam reſerare ſolebas,
Nunc tibi cæleſtes jam patuere fores.
Jamque polo exceptus, ſupera ſpatiaris in aula,
Pro meritis referens præmia digna tuis.
Inde orbem procul, & ſubjectas deſpicis arces,
Quas miſerâ nubes plurima nocte premit.
Interdumque tuam ſummo de cardine Romam
Reſpicis, heu! viduam ſedis honore tuæ.
Illa quidem multos tecum feliciter annos
Vixit: Romuleæ tu Pater Urbis eras.

At

At nunc illa tuo acclinis ſedet uſque ſepulcro,
Sparſa genas lacrymis, pulvere ſparſa comas.
Nata ſuo qualis, miſerum! ſolet orba parente,
Qualis & amiſſo Nupta dolere Viro.
Te gemitu infelix, mœſta te voce requirit,
Te, veniente die, te, moriente, vocat.
At tu, ſi quis amor, ſi noſtri cura recurſat,
Nam fuimus curæ pars bene magna tuæ;
Reſpice quo ſolitus vultu, dum vita manebat,
Teque ſuum agnoſcat nunc quoque Roma Patrem.

CUM PIETATE CONJUNGENDAM ESSE SAPIENTIAM.

E L E G I A XVII.

NOn ego, ſi nullo doctrinæ ſplendida cultu
Sit pietas, parvum pondus habere rear.
Illa rudem quamvis animum cælo evehit, illa
Mentibus æthereis nos facit eſſe pares.
Atque utinam vel ſola hominum regat arbitra mentes,
Immortale foret ſcilicet una decus.
Ne tamen abjiciat, vel dedignetur alumnos,
Quos coluit ſtudiis docta Minerva ſuis.
Pulchrius in digitis adamas nitet additus auro,
Et pretium, & mixtum creſcit utrinque decus.
Fecundum docta madeat ſi Pallade pectus,
Hinc pietas cultu nobiliore nitet.
Sola quidem non eſt per ſe ſapientia tanti,
Quidquid & humanus comparat arte labor.
Ingenuos pietas addat ſi candida mores,
Utilius numeros tunc habet illa ſuos.
In fœdus coeant, manibus per mutua nexis,
Altera ab alterius nempe juvantur ope.
Aſpice, quæ vitis medio conſurgit in horto
Floribus, & gemmis conſpicienda novis:
Illa feret lætos autumni tempore fructus
Scilicet, & pleno dulcia vina lacu.

Hei mihi ! ſed palis neglexit jungere vitem
  Ruſticus, & viduam ſerpere cogit humi!
Illa feret nullos autumni tempore fructus
  Scilicet, & ſicco vina negabit hero.
Diſcite, virtutis quam ſit ſapientia cuſtos
  Fida, pios animos quam bene juncta regat.
Ergo ambas animo complectere, quiſquis honorem,
  Et decus integræ Relligionis amas.
Alta petit pietas, firmat ſapientia greſſus;
  Illa cavere dolos optat, at iſta docet.

P H OE B U S

VATES SUOS ΥΔΡΟΠΟΤΑΣ ESSE JUBET.

E L E G I A XVIII.

HOc verum eſt, tibi Phœbe, tui ſpumantia Bacchi
  Munera, purpureum diſplicuiſſe merum?
Diſplicet; & ſocias miſcere Acheloia Muſas
  Pocula, non capiti noxia vina jubes.
Aſt ego credideram vites, lauroſque comantes
  Adnaſci, atque uno poſſe virere ſolo.
Credideram in fœdus Bromium, Phœbumque coire,
  Liberaque argutos vina juvare modos.
Dicebam (memini) quamvis fluat Hippocrene,
  Uberior Bacchi munere vena fluit.
Carmina ne deſint, non deſint vina: bibenti
  Mitius ingenium mitia vina dabunt.
Phœbus amat Bacchum; Baccho quoqne carus Apollo eſt;
  Alter ab alterius ſæpe levatur ope.
Dum favet hic, nullis modulamur carmina curis;
  ' Sponte ſua veniunt, dum favet ille, modi.
Si juvat, atque animos vati dat Numen utrumque,
  Adſis carminibus, Numen utrumque, meis.
Hæc ego dicebam; ſed non hæc viſus Apollo eſt
  Numine dicentis verba probare ſuo.

Atque ait indignans: cur hoc ſibi vindicat ultro
  Bacchus? & in meſſem cur venit ille meam?
Sunt Vates mea cura: ſua ſtet Bacchus in aula:
  Quis vetat? in vites imperet ille ſuas.
Ipſe poteſt menti rabidos præbere furores,
  Pectoris inſanos ipſe ciere modos.
Qui veniunt cantus ſedato pectore; lenis
  Quæ fluit, hæc Phœbi Numine vena fluit.
Sæpius audiſti noſtros memorare Poetas
  Caſtalios latices, Pierioſque lacus.
Plena joci quamquam antiquis eſt fabula libris;
  Non tamen eſt vani fabula plena joci.
Illa docet doctas lymphis gaudere Camenas,
  Nec niſi de gelido pellere fonte ſitim.
Najada Phœbus amat: procul hinc diſcedite, queis eſt
  Ebrietas cordi: Najada Phœbus amat.
Quis furor, in verſus inimicum arceſſere Numen?
  Aſperior nullus vatibus hoſtis erit.
Ille Aganippeos inter modo primus olores,
  Orpheus Iſmaria nobilis ille chely,
Concidit heu? Ciconum furias perpeſſus iniquas;
  Acceptum merito quod tibi, Bacche, refert.
Hei mihi! nec caro licuit ſuccurrere Vati;
  Nec cithara, arguti profueruntve modi.
Te mœſtæ volucres, Orpheu, ſilvæque, feræque,
  Et ſilices, cantus turba ſecuta tuos;
Te chorus Aonidum, triſti te Pimpla ſuſurro,
  Te poſitis flevit Cynthius ipſe comis.
Fletibus his, propriiſque auxerunt flumina curſus,
  Raucaque jam plenis ingemuere vadis.
Bacchantum immeritos ſic damnavere furores,
  Saxaque, quæ tantum ſuſtinuere nefas.
Quid tibi nunc, Orpheu, præterlabentia prodeſt
  Flumina Threiciâ detinuiſſe lyrâ?
Quidve modis tenuiſſe feras? ſi ſaxa tenere
  Non potes, & Bacchi, quas ciet ira, manus?
Ipſe dedit, dedit ipſe Deus tam ſæva movere
  Prœlia, nec Vati parcere nempe meo.

Ebrius

Ebrius ille furit : Bacchum prohibete Camenis;
 Non facit ad verſus : Ebrius ille furit.

HYPAETHRUM IN EPHEBEO COLLEGII NEAPOLITANI SOC. JESU.

ELEGIA XIX.

HIc ubi ſecretoſque lares, tacitumque receſſum
 Incolit, & ſtudiis prima juventa vacat;
Panditur apricos admittens area ſoles,
 Parva quidem, parvo ſed tamen apta loco.
Arctoas quamquam pateat proſpectus in oras,
 Deſpicit Arctoas attamen illa minas.
Undique nam clauſa muri ſe mole tuetur;
 Et minus hîc Boreas, & minus audet hiems.
Artifici depicta manu ſtat plurima circum,
 Lumina quæ viſu fallere poſſit, avis.
Falleret & modulis aures, ni ſancta ſilendi
 Lex vetet injuſſis obſtrepuiſſe modis.
Hinc atque hinc vario ſurgunt e germine flores,
 Quos levis appulſu ventilat aura ſuo.
Hîc iterum propria gaudes, Narciſſe, figura,
 Nec minus antiquâ te nova forma rapit.
Frondibus inſcriptaſque vides, Hyacinthe, querelas;
 Manſurumque diu fers, Amarante, decus.
Eſt roſa, ſunt violæ, niveo ſunt germine calthæ;
 Spargit odoratas Caryophyllus opes.
Nec procul illimi fons manat garrulus unda:
 Hoc age, Chlori, tuam prolue ſæpe ſitim.
Nec flutæ deſunt, medio quæ gurgite ludant,
 Nec vitrei lympha ſubſiliente joci.
At tu, qui picto flores vernare theatro
 Aſpicis, hæc animi fer documenta tui.
Quam cito, dic, læta ſpoliantur gramina pompa,
 Sævior æſtivo si Canis igne fremit;

Quam

Quam cito turgidulo viduantur vertice calthæ,
Si glomeret vernas nubifer Auſter aquas;
Tam cito formoſæ ſpoliamur flore juventæ,
Quem ſequitur tacito pigra ſenecta pede:
Tam cito ſupremam vitæ properamus ad horam,
Quos teget ignoto mox brevis urna ſinu.

DE OBITU P. JO: BAPTISTÆ DE BENEDICTIS E SOC. JESU.

E L E G I A XX.

HOc erat, obſcuro texit quod Syrmate vultum
Cynthius; illa animi ſigna dolentis erant.
Mens etenim jam tum venturi præſcia luctus
Triſtitiæ mœſtas præbuit ore notas.
Ille dies leto vidit, te Batte, propinquum:
Quam fuit infelix, quam niger ille dies!
Ut maciem vidit ſubitam, pallentiaque ora,
Phœbus ab aſpectu palluit ipſe tuo.
Occidis heu! noſtro ceu Sol ereptus ab Orbe:
Heu quantum nobis mors rapit iſta decus!
Invidiſſe reor dudum te ſidera terris,
Ornatura ſuas ambitioſa plagas.
At poterant nimium properantia fata morari,
Dum tremeret laſſo tarda ſenecta pede.
Si numeres annos, vitam ſperare jubebant,
Quæ modo luſtra tibi vix duodena tulit.
Aut ſaltem patria tandem morereris in ora,
Altricique fores contumulandus humo.
Solarere tuos poſtremum affatus Amicos,
Exciperesque anima jam fugiente, vale.
Haud ſuperis viſum eſt: fruſtra ſperavimus olim;
Vota nihil, fuſæ nil valuere preces.
Optabat rurſum tua te cariſſima Siren,
Et vultus coram cernere poſſe tuos.

Jam

Jamque aliquis dum ſe, dum nos ſpe paſcit inani,
Parva mora, hîc, inquit, credite, Battus erit.
Quid facis infelix? rapiunt ea gaudia venti;
Neſcio quis falſus rumor ab Urbe fuit.
Ah reditum tibi nequicquam promittere noli,
Invida ſperatum fata morantur iter.
Triſtior ad noſtras pervenit nuntius aures,
Illum poſtremo decubuiſſe die.
Siccine Batte redis? hæc de te gaudia nobis
Non expectato funere fama refert?
At ſibi ſi tantum voluit libitina licere,
In cineres ſolum jus habet illa ſuum.
Æternum vivent libri, ſemperque legentur,
Ingenii ſuperant quæ monumenta tui.
Donec erunt doctæ priſco de more Palæſtræ,
Juraque diſcendi clara Stagira dabunt;
Immo aliquis, tanto ſtat Servatore Lyceum,
Atque iſto, dicet, vindice, floret adhuc.

DE NIVE KAL. JANUAR. EFFUSA
AD JANUM.
ELEGIA XXI.

TEmpora ſi duplici proſpectas omnia vultu,
Cogis & elapſos, Jane, redire dies;
Si tibi non anni ſeriem, non invida cæli
Numina labentes occuluere vices;
Eſſe quid hoc dicam, primo quod menſe repente
Nubibus effuſis nix ſtetit alta ſolo?
Quæſieram paucis; paucis hæc deinde roganti
Reddidit in nivea ſic mihi veſte Deus.
Horrida tempeſtas placidum denuntiat annum,
Et gelidæ ſignant tempora blanda nives.
Candidus arctoo properat qui ſidere menſis,
Candida depoſito ſæcla furore præit.

Alba

Alba trahat melior felici ſtamina fuſo
  Parca ; decet niveus tempora noſtra color.
Aſpicis ut læto procedam inſignis amictu:
  Jam toga ſecuro candida ſumpta mihi eſt.
Claudite ferrati tandem fauſto omine poſtes,
  Claudite perpetuâ bella cruenta ferâ.
Biſtonidum repetat præceps diſcordia terras,
  Jactet ibi accenſas irrequieta faces.
I procul hinc , Gradive , tuus vocat Hæmus : incertes
  Vel ſine , vel regna in barbara ſparge minas.
Bellica pacatæ concedat laurus olivæ,
  Concedant plectris , monte ſilente , tubæ.
Jam roſa ſplendidior patrio ſibi plaudat in oſtro,
  Explicet & vultu ſplendidiore caput.
Vos quoque vos calthæ, vos candida lilia rurſum
  Pandite lacteolos , Pax jubet alma , ſinus.
Nam neque vos fuſo turpet Bellona cruore
  Invida , candentes inficiatque comas;
Nec ferus inviſo ſurgentia demetat enſe
  Miles , & admiſſo quadrupedante premat.
Adde triumphales, cælum ſinit , adde curules
  Candida Pax , triſtes excute fronte notas.
Lætus io novus annus eat meliore corona,
  Venturos decorent aurea ſæcla dies.

BYL-

BYLTHRIDIS QUERELAE.

Cum Vates ad Philoſophiæ ſtudia gradum feciſſet, Anno æt. XIX.

ELEGIA XXII.

VOx ego parva ſono, preſſo reddenda labello,
  A pueris lingua ſubſiliente petor.
Cogor & obductum vulnus renovare quotannis,
  Nam redit aſſiduo ſic meus orbe dolor.
Atria tum, ruptæque ſonant clamore columnæ:
  Per fora, perque urbis compita, Bylthri, rea es.
Sæpe vocant teneras natam corrumpere mentes,
  Sæpe vocant nomen publica damna meum.
Anne ego fatales tentavi abrumpere leges,
  Defererent certas ut ſtata ſigna vices?
Neu ſint, neu fuerint, neu mox ventura trahantur,
  Quæ ſunt, quæ fuerunt, quæque futura manent?
An labyrintheis mentes erroribus anceps
  Implicui, tacitos exhibuique dolos?
Anne Hirco celerem docui committere Cervum,
  Tertius ut ſpecie mixtus utraque foret,
Et neutrum pariter, pariter præferret utrumque,
  Aſpicereſque duos eſſe, neque eſſe duos?
Cur mihi non aliquam detur ſumpſiſſe figuram?
  Quid prohibet nomen pondus habere meum?
Sic Pallas mea ſigna ſuæ intermiſceat aulæ,
  Et niteam cultu conſpicienda novo.
Sæpe etiam tractu ſplendeſcit in æthere flammeo,
  Sidus & eſt ſubito, qui modo fumus erat:
Miraturque novos ignes, & non ſua cælum
  Lumina, mentitas viſa referre faces.
Quis fuit o, rebus qui primus nomina fecit,
  Quam rudis, & ſævi pectoris ille fuit!
Me dedit heu! ſonitu vocem modo reddere inani,
  Ludibrium pueris, ludibriumque foro.

Si

Si qua etiam nobis accedant pondera rerum,
  Quam dederit caſus, non probat uſus opem.
Jamque aliquis nomen dudum indignatus, amaris
  Increpitat dictis ferreus uſque meum.
Hinc age, Bythri, procul; nulla eſt tibi gratia; nec te
  Ulla ſub incerto nomine forma decet.
Vocis habes pro voce ſonum, pro corpore nomen;
  Es nihil, aut ſi quid vilius eſſe queat.
Turpis inornato ſordeſcens arbore ſilva;
  Quique ſuo careat gramine, turpis ager.
Nata ſolo vernante, ſuo roſa fulget in oſtro,
  Hoc quoque ſi careat, deſpicienda roſa eſt.
Quo ferus incerto contorques vulnera telo?
  Nequicquam inſequeris quod nihil eſſe putas.
Quod nuſquam eſt, nuſquam perimes; arma irrita tentas;
  Effugiet rictus nomen inane tuos.
Scilicet inde tuæ ſurget laus maxima famæ:
  Quæ venit ex nihilo gloria, nulla venit.

A D M U S A M

DE HIRCO-CERVO.

Cum in Philoſophicis ſtudiis Vates verſaretur.

E L E G I A XXIII.

NE mihi deſidiæ faciens convicia crimen
  Objicias, lentas increpiteſque moras.
Ceſſarunt, fateor, ſextum jam barbita menſem;
  Sordida contracto pulvere plectra ſilent.
Sed longam fecere moram per ſumma Lycei
  Culmina, ab aſpectu monſtra timenda ſuo.
Monſtra hominum (expertus didici) terrentia mentes;
  Monſtra, quibus nomen priſca Palæſtra dedit.
Hircus erat, Cervuſque ſimul, renuentia jungi
  Nomina; quem dixit Græcia Τραγέλαφον.

Una pugnabant adverſis frontibus: una
Cum duo pugnarent; attamen unus erant.
Unus erant, ſtabantque duo: Natura negabat
Fœdera; jungebant fœdera mentis ope.
Mira fides, at vera tamen; qui cerneret illos,
Crederet eſſe duos, nec tamen eſſe duos.
Si quæras ubi ſint, nuſquam locus: una laremque,
Tectaque, ſi mens non invenit, ipſa facit.
Mens dedit eſſe, ſuas inter, ſtudioſa, latebras;
Mens fovet, obtutuque incubat ipſa ſuo.
Quod tamen hinc ſperet, nihil eſt; ſed inutile pondus
Suſtinet in pœnas ingenioſa ſuas.
Si quid enim veri ſe credula fingat habere,
Fallitur, & fruſtra ſumitur iſte labor.
Præbet opum Natura ſatis, queis pectora ditet:
Nil opus eſt fictas quærere mentis opes.
Cum ſatis eſſe queant vero ſub nomine formæ,
Quis furor eſt vanis ludere imaginibus?

SANCTO PETRO DE ALCANTARA.

NUNCUPATORIA THESIUM.

ELEGIA XXIV.

PEtre, mihi ſemper magnum, ac venerabile nomen,
Te mea dum poſcunt vota, preceſque, ſave.
Quidquid id eſt, parvum ſiſto tibi munus; ut omnis
Cedat in obſequium pompa, dieſque tuum.
Nempe animi tibi ſigna mei ſint illa colentis;
Sint mihi præſidii pignora certa tui.
Exuperet quamquam vires labor ipſe, meique
Ingenii virtus pondere preſſa gemat;
Auſpice te, vires poterunt perferre laborem,
Ingeniumque tuo munere majus erit.
Si mihi non aliam pariant certamina laudem,
Et palmis præſens obſtet arena meis;

Auſpi-

Auſpicio ſed, Dive, tuo quod lætor, & ultro
  Ante tuos ſiſto votaque, ſpemque pedes;
Hoc ingens nobis fuerit decus: inclyta certe
  Obſequio laus eſt inde futura meo.
Tu modo, ſi merui, ſupplexque in vota vocavi,
  Numine fac mea ſit ſpes bene nixa tuo.

THESIS PRIMA.

EJUSDEM REI SCIENTIA, ET OPINIO, ΑΔΥΝΑΤΟΝ.

HAEc duo ſi jungas, compones humida ſiccis;
  Noxque ſuas Phœbo junget amica rotas.
Altera nam dubiam reddit ſententia mentem,
  Altera ſed firmo pondere nixa manet.
Iſta docet rerum clara ſub imagine formas,
  Illa per obſcurum ſubdola ducit iter.
Hæc veri ſecura ſui, & formidinis expers,
  Illa ſed erroris damna ſubire timet.
Qui nihil addubitet, falli nec poſſit, *Opinor*
  Dicet? an incertus, qui ſciat, eſſe poteſt?
Præterea infirmæ, dubiæque crepuſcula lucis
  Addideris fruſtra, dum nitet alta dies.
Dum ſua conſpicuus diffundit lumina Phœbus,
  Quid facit in medio parva lucerna die?
Stultus erit, lucis melior dum fulget origo,
  Quiſquis ab exigua luce requirat opem.
Adde, quod inferior, ſi qua eſt lux illa, minorque
  Perdit ab occurſu ſplendidioris opes.
Qualis ubi primo Titan conſurgit Eoo,
  Et rutilum puro ſpargit ab axe jubar;
Occuluere ſuas cedentia ſidera flammas,
  AEmula nec Phœbe, quo prius, igne micat:
Erigonen fruſtra quæras, & Orionis enſem,
  Quove micent Hyades, quo Cynoſura loco:
AEthereum properat ſub cærula Phoſphorus agmen
  Cogere, poſtrema merſus & ipſe face.

Aſtra polo exoriens Titan fugat ; omnia ſolus
  Vincit io , & radiis occupat ipſe ſuis .
Nempe ubi jam toto regnat lux major in orbe ,
  Nil iſtic , quod agat lux minor , eſſe queat .

THESIS ALTERA.

EVIDENS CONCLUSIO ASSENSIONEM EXTORQUET ; NON ITEM PROBABILIS .

Certa ubi ſe veri ſpecies clariſſima prodit ,
  Illius amplexum mens , mora nulla , petit .
Et probat , & retinet ; Verique in imagine tota eſt ,
  Non ſecus ac voti ſumma ſit illa ſui .
Non ipſam arbitrii leges , non juſſa coercent ;
  Vim patitur , ſed vi gaudet , amatque trahi .
Sic ubi viſa fera eſt , Domini jam lora recuſat ,
  Et ſe præcipitem vividus Umber agit .
Quod ſi non certis verum depreadere ſignis
  Detur , & obſcuris res patuere notis ;
Tunc mens ipſa poteſt dubium formidine curſum
  Anxia ſuſpenſo continuiſſe gradu .
Ceu cum per tenebras , tacitæque ſilentia noctis
  Ingredimur , neque fax lumine monſtrat iter ;
Suſpenditque pedes timor, audacemque moratur ,
  Exploret dubias dum manus ante vias .
Scilicet erroris fecere pericula cautam ,
  Falſaque cum veris mixta probare timet .
Ergo hic imperium expectat ; quid nempe voluntas
  Urgeat , & nutu ſtatque , movetque gradum .
Si jubet arbitrium , vero non ſegnis adhæret :
  Si vetat , aſſenſum continet uſque ſuum .

THESIS

THESIS TERTIA.

ARCHIMEDIS PROBLEMA

Δός μοί πῦ στῶ, καί κινῶ τὴν γῆν.

STruxerat inſana ſurgentem mole carinam
  Hieron Trinacrio in litore, montis opus.
Alta ſolo ſtabat calcatâ puppis arenâ,
  AEquoreas jam tum ſpernere viſa minas.
Jamque alacres illam in pelagus deducere certant
  Mille homines firmo robore, mille boves.
Nequicquam tamen experti; nam immota reſiſtit
  Viribus illa hominum, viribus illa boum.
Ingeminant vires adnixi corpore, & omnem
  Undique, ſi qua via eſt, experiuntur opem.
Nulla via eſt; fruſtra ſumpti ceſſere labores:
  Fixa carina ſolo immobilis ire negat.
Ergo ſenem, docta quem noverat arte Magiſtrum,
  Rex jubet acciri; nec mora, juſſus adeſt.
Quis labor iſte, Viri, clamat: concedite: ſaxo
  Ingenii cedat viribus illa mei.
Dicta fides ſequitur: parvo molimine ſurgit
  Machina: dentato nomen ab orbe Rotæ eſt.
Hac ope, tam facili petiit ratis æquora niſu,
  Ut pueri poſſet parva ciere manus.
Mirantique ſenex Regi, & plaudentibus: Ipſam
  Credite, tellurem poſſe movere, meum eſt;
Sit modo libertas, firma conſiſtere planta;
  En, ait, experta fecimus arte fidem.
Scilicet exiguo Cælum qui clauſerat orbe,
  Res minor huic certe non operoſa foret.

 CUM

CUM VATES GRAMMATICAE DOCENDAE MUNUS SUBIRET.

ELEGIA XXV.

NOs quoque Palladiæ ſtudio inſudare palæſtræ,
Et doctos inter nomen habere juvat.
Ergo ſacros Phœbi nuper penetrare receſſus,
Ipſaque Muſarum limina, viſus eram.
Mirabar Vatumque choros, citharaſque, lyraſque,
Et quæ præterea gaudia Pindus habet.
Jamque manu lauros prenſare, atque inde coronam
Gaudebam noſtris implicuiſſe comis.
Cum me conſpiciens vicino e margine Pimplæ
Riſit, & hîc aſtas tu quoque? Phœbus ait.
Quid tibi cum citharis? quid cum Permeſſide lympha?
Sarcina non humeris hæc ſatis apta tuis.
Deſine majores nido protendere pennas;
Creſce: ferent anni, quæ modo ferre negant.
Prima rudimenta, & verborum inflectere formas,
Nominaque ediſcas ſi modo rite, ſat eſt.
Quod ſi tantus amor crines innectere ſertis:
Serta dabunt humili gramina lecta ſolo.
Tu Deſpauterii, tu dogmata Quintiliani,
Noſtra quibus fervent atria, diſce prius.
Mox ubi jam ferulæ dextram ſubduxeris, & jam
Conſueſces latio rectius ore loqui;
Sacra cothurnati poteris tractare Maronis
Nablia, & arguta concinuiſſe lyra.
Hoc bene: præceptis alacres inſiſtimus ultro,
Seu Donate tuis, Alvare ſive tuis.
Nec pudet ex imis Pindi radicibus herbas
Colligere, atque humili nectere fronde comas;
Nec piget ante fores Sophiæ conſiſtere, donec
Interiora ſacræ detur adire domus.
Si quis forte putet parva hæc ſpernenda, neç ullum
Eſſe operæ pretium, lucraque nulla fore;

Illum

Illum ego non æqua dicam perpendere lance
  Pondera, judicio non dirimenda levi.
Parva quidem, fateor, ſunt quæ tractamus; at artis
  Principia ætati convenienter eunt.
Dum prima eſt, & vix dubiæ lanuginis ætas,
  Rebus in exiguis inſtituenda venit.
Imbelles humeri, nequeunt quod ferre, recuſant:
  Quod leve ſit, quivis forte ſubibit onus.
Quantus hic eſt, qui per Latium canit Arma, Virumque!
  Quantus Romano Tullius ore tonat!
Vagitus tamen, Infantes, primoque ſub ævo,
  Balbaque non certis verba dedere ſonis.
Scilicet & ſua ſunt ſtudiis cunabula: vagit
  AEtas prima, ſuum mox habitura modum.
Paullatim creſcent anni; creſcetis & artes
  Ingenuæ, cultu quælibet apta ſuo.
Flumina magna vides Iſtrum, Gangemque, Padumque;
  Quælibet exigui fontis origo fuit.
Aſpice, quæ magnis conſurgunt molibus ædes,
  Tectaque divitiis invidioſa ſuis;
Duratura prius ni fundamenta locaris,
  Quæ tu cumque ſuper ſtruxeris, illa ruent.
Et quiſquam male ſubductis rationibus, artem
  Grammaticam parvi ponderis eſſe putet?
Si minus oſtentat laudis, formæque; quid obſtat?
  Quam reliquæ, plus hæc utilitatis habet.
Infima debentur nobis ſubſellia; verum
  Non niſi per tales itur ad alta gradus.
In tenui labor eſt, tenuique moramur in arte;
  At non eſt tenuis, quæ venit inde, ſeges.

IN OBITU PRINCIPIS PUELLAE.

ELEGIA XXVI.

SCilicet hæc miſeræ deerant funeſta Parenti
 Fata, nimis duras ludere docta vices!
Tu quoque ut in tenera ſubito raperere juventa
 Julia, materni nuper amoris amor!
Matris amor quondam; quæ nunc ſua frena dolori
 Laxat, & heu! mœſto perluit imbre ſinum.
At non hoc olim de te ſperare jubebant
 Maxima natali gaudia ſumpta tuo.
Non ætas, non forma, tui non gratia vultus,
 Quique erat in tenero plurimus ore decor.
Te naſcente, diem gemma meliore notavit
 Protinus auſpicio lætus uterque parens.
Atque ait, ipſa alios certe ſolabere luctus;
 Et vives noſtræ ſpes bene firma domus.
Hei mihi, ſed ventis & verba, & vota dedere!
 Invidit tantis trux Libitina bonis.
Ante diem cedis prima trieteride fato,
 Ut roſa, quæ primo ſole peruſta cadit.
Quid tua nunc ætas tibi Julia, quid tibi proſunt
 Ducta per antiquos ſtemmata Gentis Avos?
Num minus immites habuiſti, Julia, Parcas?
 Num potuit ſævas forma vetare manus?
Tam fera ſi poſſent uſquam manſueſcere corda,
 Moviſſet votis, & prece mœſta parens.
Haud ſuperis viſum: fruſtra ſperaverat olim:
 Vota nihil, ſuæ nil valuere preces.
Occidis heu! Matriſque tuæ ſpes occidit una:
 Ante expectatum te premit urna diem.

C A R O L O II.
H I S P A N I A R U M R E G I
S O S P I T I.

E L E G I A XXVII.

VIvit io Carolus ! pharetram deponis , & arcum
  Invida Mors , capiti parcere juſſa ſacro .
Vivit io ! ſua jam gemino lux redditur orbi :
  Excipit en facilis publica vota Deus .
Quod populis fatum pariter , Dominoque parabas ,
  Mobilis in ſævos transferat aura Getas .
Ite procul gemitus , ferales ite cupreſſus :
  Tu quoque lugubres Nenia rumpe ſonos .
Auſpicio meliore hilares , Phœbe , indue cultus ;
  Indue feſtivos , blanda Thalia , ſinus .
Nunc juvat & faciles paſſim duxiſſe choreas ;
  Nunc juvat & fertis implicuiſſe roſas .
Gaudia amem , plauſuſque libentior : o ubi cantus ,
  Nabliaque , & feſtis carmina culta modis !
O quibus incolumis geminat ſolatia Princeps
  Regna , coronatis plaudite læta comis .
Et vos quæ Occiduo , vos quæ gaudetis Eoo
  Litore ; nam Carolus litus utrumque regit .
Tuque adeo Heſperiis dudum decus addita Regnis
  Parthenope , triſtes excute corde metus .
Excute corde metus : patria jam regnat in aula
  Soſpes , & auguſto Carolus ore beat .
Nequicquam inſanos acuit Bellona tumultus :
  Turbida nequicquam movit ad arma manus .
Jam Thameſis poſuere minæ : jam Sequana lymphas
  Edomito juſſit mollius ire vado .
Victa fugit tandem fractis diſcordia telis ,
  Et dolet inſidias nil valuiſſe ſuas .

Nempe

Nempe Deo curæ eſt Carolus : Deus inclyta Regi
Sceptra dedit : ſervat regia ſceptra Deus.
Auſtriadum res alta Polo ſe ſuſtinet ; iſto
Vindice , mortales deſpicit illa vices .

SUPER TERRAEMOTU

Prid. Idus Martias cIↃIↃCCII.

ELEGIA XXVIII.

CYnthius Eois non dum ſurrexerat undis ;
Splendebat dubia vix modo luce polus :
Cum ſubito (horreſco referens) de cardine tellus
Mota ſuo eſt , trepido ſubſiliitque gradu .
Tecta tremunt, murique, atque, ardua culmina , turres ,
Sub pedibus vento concutiente ſolum ..
Pars bona tunc placidi carpebat munera ſomni :
Hei mihi quam morti proximus ille fuit !
Continuo e ſtratis magno turbante tumultu
Surgimus ; inſuetus perculit oſſa tremor .
Hic gemit, ille dolet; fugit hic, manet ille: ſalutem
Quiſque petit : nullo eſt limine certa ſalus .
Ipſe dolore timor creſcit , dolor ipſe timore ;
Alternat mœſtas utraque cauſſa vices .
Siſtit , & impellit dubiumque , & cura ſalutis ,
Nempe metus trepidam datque negatque fugam .
Aſpera moviſſet pietas vel ſaxa ; movere
Si modo vel pietas aſpera ſaxa queat .
Ora hominum aſpiceres pallentia morte propinqua :
Et nuſquam in toto corpore ſanguis erat .
Nequicquam alterius poſcas dextramque , fidemque:
Vix bene nam vitæ conſulit ille ſuæ.
Tunc ſubeunt trepidæ commiſſa piacula menti ;
Tunc , animo dudum quæ placuere , dolent.
Dumque metus , mœrorque ſinunt, vox protinus una ,
Index ſolliciti pectoris una ſonat :
O qui ſtare jubes terram , motamque coerces ,
Supplicibus, pietas quæ tua, parce reis.

Parce

Parce reis, populoque volens ignoſce precanti;
Nempe ſumus quoque nos gens tua, parce reis.
Pœnitet o, quis noſtra ſacer, quis crimina Myſtes
Auferat, æternis eripiatque rogis?
Sic memorant: rumpunt mœſtas ſuſpiria voces:
Attonitus cohibet verba retenta ſtupor.
Quid faciam? qui certa ferat ſolatia, nullus;
Quæ ferat auxilium dextera, nulla mihi eſt.
Obſtupui, fateor, gelidusque intercipit horror
Pectora, non ſolito pectora pulſa metu.
Quo fugiam ignoro, fugio tamen: omnia luctus,
Omnia ſolliciti plena timoris erant.
Saberidæ ſtat ſacra Domi in penetralibns AEdes,
Sæpe ubi demiſſo fundimus ore preces:
Huc me proripio multis comitantibus: illic
Apparet Divi a numine certa ſalus.
Suppliciter triſtis Te Numen deprecor; & Te
Supplicibus, Virgo, ſemper amica reis.
Spes ubi nulla ſubeſt, Cælo confidimus; inde
Quæcumque huc miſero ſpes venit, æqua venit.

DE FALSIS POST TERRAEMOTUM VATICINIIS.

E L E G I A XXIX.

VIvimus? an vigiles deludunt ſomnia mentes?
Falſaque nos vitæ credere cogit amor?
Vivimus: hæc noſtra eſt cælo mitiſſima Siren,
Tam felix patrio, quam fuit ante, ſolo.
Hæccine vaniloqui dixerunt carmina vates?
Hæccine divino præcinuere ſono?
Tertia, dicebant, cum lux fulgebit in orbe,
Heu quam feralem lux vehet illa diem!
Parthenope ruet alma; pluet cum ſanguine ferrum;
Luctus ubique ingens, triſtis ubique dolor.
Tertia, (quis dubitat?) jam lux effulſit in orbe;
Urbs ubi lapſa, cruor, ferreus imber ubi eſt?

Ut

Ut ſolet, Eoa conſurgit Phœbus ab unda;
Ut ſolet, in niveis Cynthia fertur equis.
Monſtra ubi ſunt? ubi tecta gravi convulſa ruina,
Fataque mortali non referenda ſono?
Aura procul ſecum tulit horum carmina vatum:
O etiam vates hæc ferat aura ſuos!
Scilicet hos etiam grave ſi quidquam inſtet agendum,
Conſiliis adhibet Dia Pronœa ſuis.
Dia Pronœa ſimul fatorum arcana recludit,
Et loca mortali non adeunda pede.
Tum docet, ignotis ſubjectum ut legibus orbem,
Ut varias certa temperet arte vices.
Quid Phœbus, Phœbique ſoror, quid cetera tandem
Occultis moneant aſtra legenda notis.
Inde hominum ignaras ſua per mendacia mentes
Deludunt, falſis decipiuntque modis.
Atque utinam vanis non adſit gratia dictis,
Aut neget immeritam credula turba fidem!
Credula turba quidem fallaci pendet ab ore,
Et ventura illos poſſe videre putat.
Jamque aliquis patriumque larem feſtinat, & urbis
Limina ſollicito deſeruiſſe pede.
Et, fugiamus, ait: vates dixere: cavendum eſt,
Opprimat incautum ne mora lenta caput.
Quo fugis, infelix? tua te mens credula torquet,
Et miſerum ſemper vana timere jubet.
Quis metus o? cauſſas fruſtra prætendis inanes:
Tu tibi cauſſa metus, tu tibi cauſſa fugæ.
Quæ modo Cumææ credis reſponſa Sibyllæ,
Et tamquam Clario dicta monente Deo,
Irrita cum cernes, tum te timuiſſe pudebit;
Ah nimium, dices, credulus ipſe fui!

POST

POST TERRAEMOTUM SIRENIS LACRYMAE.

ELEGIA XXX.

SIt ſatis o, Superi: noſtros ne ſpernite luctus;
  Ignoſcat populo Numinis ira ſuo.
Illa ego finitimas inter lætiſſima Nymphas
  Siren, deliciis invidioſa meis:
Nunc heu! nec ſocias inter lætiſſima Nymphas,
  Nec jam deliciis invidioſa meis.
Quid queror ah? merui talem male ſana furorem;
  Juſta premit, quamvis maxima, pœna reos.
Nec tamen ille furor: [quid enim moderatius illo?]
  Culpa quidem noſtra eſt maxima, pœna levis.
Quam parce Deus ipſe ſuis eſt viribus uſus!
  Quam citra meritam conſtitit ira necem!
Juſtitiam ſemper comitans Clementia vincit:
  Hæc tenet ultrices, quas movet illa manus.
Dumque homines ultura, minas & fulmina terris
  Illa parat; ſubicit blandior iſta roſas.
Ambæ ævo ſimiles, æquis & viribus ambæ;
  Neſcio quo tamen eſt fortior iſta modo.
O ſemper pietas commotam leniat iram!
  Et faciat; ſi non crimina noſtra vetent.
Scilicet hæc Domini, quamvis mitiſſima, cogunt
  Pectora, terrificis increpuiſſe minis.
Hei mihi! ne rurſum irritent nova crimina Numen:
  Et gravius veniat, quam fuit ante, malum.
Hei mihi! ne rurſum tellus tremat: illa timenti,
  Me miſeram! ſemper, credite, viſa quati.
Et cupio, & nequeo pavidam deponere mentem;
  Dum fugit, ipſa ſuum mens fovet ægra malum.
Neſcio quis tamen intus, habent jam noxia finem
  Damna, metus cohibe, ſpes tua vivit, ait.
Pone metum, Siren; Domini te cura fidelis
  Servat io! quid fles anxia? pone metum.

'Ah melior Domino Pater eſt: cadit ira; paternas
  Blanda vocat pietas ſub ſua ſigna manus.
Ut tonet, ut ſævâ jaculetur fulmina dextrâ,
  Signa tamen Domini ſemper amantis habet.
Terret, & oblectat; reficitque, & fauciat idem;
  Quæque ferit, medicam dextera præbet opem.
Iratum credas, veniam deſignat; Amoris
  Immemorem Pietas non ſinit eſſe ſui.
Exclamat: fuge tela, prope eſt vindicta; ſaluti
  Conſule; te periment ah mea tela: fuge.
Quo fugiam infelix? nulla eſt fuga: me licet abdat
  Hinc procul in latebris ultima terra ſuis.
Numen ubique tuum præſto eſt Deus; & ſua ſemper
  Inſequitur, culpæ proxima, pœna reos.
Ah fugiam: tua ſed fugientem, ac ſæva timentem
  Fulmina, me Pietas condet amica ſinu.
Iratum fugio; placidum ſequor: alter, & idem
  Es mihi: ſpes venit hinc, ſi venit inde timor.

ERUMPENTIBUS VESUVII FLAMMIS SIRENIS DOLOR.

E L E G I A XXXI.

ERgo erat in fatis etiam ſuccumbere flammæ,
  Atque tuas etiam ferre Veſeve minas?
Non ſatis heu! tantos olim ſubiiſſe labores,
  Abdita cum dubias ſubruit aura domos?
Et prope ſupremam traxi tremefacta ruinam,
  Concuſſique ſolo procubuere lares?
Hæc quoque debuerant accedere damna jacenti?
  Uno non poteram cedere victa malo?
In me turbinibus juravit flamma, doliſque
  Ventus, ut hinc urnam ſortiar, inde rogum.
O dura, o noſtris ſemper ſors invida rebus!
  O ſemper fatis aſpera fata meis!
Hei mihi quam ſubito, cæco turbante tumultu,
  Omnibus attonito palluit ore color!

Cum

Cum ferus abruptis jactaret Veſvius antris
  Saxaque, & ignitos, fulmina dira, globos.
Tum gentes gelidus ſtravit pavor: omnia circum
  Litora, & incertæ ſubſiliere plagæ.
Se ferrugineo velavit Phœbus amictu,
  Et renuit nitidum ſpargere ab orbe diem.
Flammarum ſonitum toto Campania cælo
  Audiit, extremas pertimuitque vices.
Conſurgunt Nymphæ Sebethides, & mihi clamant,
  Aſpice labentes Parthenopæa faces.
Jam ſibi ſubjectos incendit Veſvius agros;
  Jam vorat agreſtes improba flamma lares.
Quocumque aſpicio, luctuſque apparet, & ignis:
  Acrior hic campos occupat, ille viros.
Quaque patent fauces, & qua, fugientibus undis,
  Doris anhelantes rettulit ipſa gradus.
Namque Deæ pelagi vicino in litore ad undas
  Gaudebant hilares implicuiſſe choros;
Cum ſubito inceptas trepidæ ſine lege choreas
  Deſeruere, citum rettuleruntque pedem.
Doris anhela ſuis caput intermiſcuit undis,
  Et tuti fugiens æquoris ima ſubit.
Ipſa etiam noſtros, quæ dudum inviſere fines
  Venerat e patriis huc Galatea vadis,
Extimuit ſævi ne vis foret illa, Cyclopis,
  Neu ferret rabidas hæc quoque Terra minas.
Parcite jamdudum nobis contraria fata:
  Tu quoque tu flammis parce Veſeve tuis.

DESI-

DESIDEM JAMDIU VATEM PHOEBUS EXCITAT.

ELEGIA XXXII.

FOrte ſub umbroſo Parnaſſi inglorius antro
Gaudebam laſſum depoſuiſſe latus.
Haud procul e viridi pendebant nablia lauro,
Nablia quæ nobis tradidit ante Maro.
Hinc atque hinc, mira vocis dulcedine, cantus
Plurima per frondes ingeminabat avis.
Ingeminabat avis cantus, ſociabat & unda,
Unda per apricos irrequieta ſinus.
Cum me vicina ſpectans ex arbore Phœbus
Excitat, & tales dat prior ore ſonos.
Quid tibi cum Pindo, ſi carmina reſpuis? antrum
Deſere neglecta, lente Poeta, lyra.
Detrahe non meritæ lauros, mea munera, fronti:
An deceant frontem laurea ſerta tuam?
Hic indignantem, & ſæva me voce monentem
Demiſſo veneror cernuus ore Deum.
At Phœbus (ſedit quando ſententia menti
Lenior) injectos abſtulit ipſe metus.
Atque ait: o noſtris Vates gratiſſime Muſis,
Quem libet Aoniis adnumerare choris;
Jampridem reſides animos, deſuetaque cantu
Ora, modi cieant per nova plectra novi.
Ipſe meas facili tractandas pollice chordas,
Ipſe alacres tribuam, te cupiente, ſonos.
Carmina amès, Muſaſque audentior, hic ubi lauros
Irrigat arguto Caſtalis unda ſinu.
Carmine quid melius, quid carmine dulcius uſquam eſt?
Et modo ſi ſapias, quid magis ipſe velis?
Carmina bellorumque iras, cæcoſque tumultus,
Irato quamvis marte, ſilere jubent.
Carminibus venti rabidos poſuere furores;
Carminibus pelagi detumuere minæ.

Si

Si jubeant, primos repetent rapido agmine fontes;
Stabit & immoto fluminis unda gradu.
Si jubeant, curru ſubſiſtet Cynthius aureo,
Aut ſolito citius devehet axe diem.
Vidi ego vel pluvio depulſas æthere nubes;
Vidi ego vel medio ſidera clara die.
Quid memorem auritas deducentem Orphea quercus,
Mulcentemque ipſa carminis arte feras?
Quid memorem, ut faciles inter Delphinas Arion
Tranſierit tuta per vada ſalſa via?
Adde quod ingenio quæſitum nomen, in omnem
Vivet io, nullo diripiente, diem.
Vatibus æternum eſt nomenque, & gloria; famam
Non eadem, corpus quæ teget, urna teget.

CUM DIES NATALIS PHILIPPI V. HISPANIARUM REGIS NEAPOLI PLURIMORUM VATUM CARMINIBUS CELEBRARETUR, ANNO CIↃIↃCCIV.

ELEGIA XXXIII.

NAtalem, Rex alme, tuum lux annua reddit:
Felices hæc eſt inter habenda dies.
Nam neque candidior nobis, neque gratior ulla eſt,
Quam quæ tam digno Principe fauſta venit.
Ergo alacer Phœbi chorus omnis, & omnia Vatum
Carmina naſcenti, Pimplaque tota vacet.
Illum prima ſuis excepit Gloria palmis,
Et tenerum blando fovit amica ſinu;
Excepit virtus, quæ tunc ad fortia pectus
Aptavit, ſtudiis excoluitque ſuis.
Illius ad cunas, vagit dum Regius Infans,
Feſtivum Charites inſtituere melos.
Dumque modos geminant, dum circum lilia fundunt,
Lilia Borboniis nobiliora notis,

Una ſoror, crinem roſeo circumdata flexu,
[Fallor! an in dextra laurea virga fuit?]
Vive Puer, dixit, modo quem dat Gallia terris,
Gallia natali conſpicienda tuo.
Illa quidem merito tali ſe jactet Alumno;
At non te proprium deſtinet illa ſibi.
Heſperiæ te Regna manent, tibi dives Iberus
Curret, & aurifluo lætior amne Tagus.
Vincet Avum tua fama; tamen ſic vincet, ut ultro
Auſpicio vinci gaudeat ille tuo.
O, quibus hic partu felici naſcitur Heros,
Regna coronatis plaudite læta comis;
Et vos, quæ occiduo, vos quæ gaudetis Eoo
Litore; nam puer hic litus utrumque reget.
Invidia infelix alio liventia flectat
Lumina, ſeque ſuo turbida dente premat.
Magnanimas etenim geſtans in pectore curas
Se major famam vincet, & invidiam.
Et quamquam toto Mavors prænuntiet Orbe
Prœlia, & infeſtas raptet in arma manus,
Armis ille tuis ingens decus addet, & oſtro,
Atque tuæ pars hæc maxima laudis erit.
Nam quæ ſceptra volens jam nunc Fortuna reſignat,
Splendidius virtus afferat illa tibi.
Omnia virtuti pariter debere, ſibique,
Fortunæque levem ſpernere poſſe rotam,
Hoc decet Heroem fatis ingentibus ortum,
Hæc decet invictos Gloria Borbonidas.
Dixerat: unanimes plauſu excepere ſorores,
Clarior & lævo fulſit ab axe polus.
Vive diu, ſonat Aula frequens, gaudentque tuentes,
Et puero Magni fata precantur Avi.
Sebethuſque Taguſque, & junctis Sequana ripis
Inſonuere alacri murmure, vive diu.

IN

IN EADEM NATALIS DIEI POMPA.

E L E G I A XXXIV.

FAllor! an Aonios videor penetrare receſſus,
  Et te Pieriis ſilva beata choris?
Non fallor: ſunt hæc multâ juga conſita lauro,
  Hic locus eſt Muſis, & tibi, Phœbe, ſacer.
At quis io inſuetum Pindi deduxit in Aulam?
  Quis dedit in vatum limina ferre pedem?
Num quoque me ſacros inter numerare Poetas,
  Mergere & Aonio flumine, Phœbe, velis?
Aſt ego pimpleos luſtro novus advena fontes,
  Nec bibit ex iſto gurgite noſtra ſitis.
Quod ſi pulſaret noſtrum vis enthea pectus,
  Et flueret votis vena ſecunda meis;
Borboniæ dudum laudes, laudeſque PHILIPPI
  Materies noſtris verſibus apta foret;
Nataliſque dies, quo non felicior alter
  Fulſerit, aut dignus candidiore nota.
Et quamquam heroo res eſt hæc digna cothurno,
  Creſceret ingenium, Rege jubente, meum:
Et quamquam multis ea ſit celebrata Poetis,
  Jungerer Aoniis pars ego parva choris.
Non adeo exiguo decurrit Pimpla fluento,
  Ut doleat ſiccos urnula noſtra lacus.
Non adeo anguſtis Phœbi ſe finibus Aula
  Pandit, ut excluſo cogar abire gradu.
Et mihi Apollineæ poterant ſuccreſcere laurus,
  Et poterant noſtras implicuiſſe comas.
At quoniam majora negas in carmina vires,
  Cynthie, & eſt noſtro parvus in ore ſonus;
Sit ſatis in numerum vates audire canentes,
  Dum phœbea novis plauſibus antra ſonant.
Huc etenim, Sebethe, tuos tranſmittis Alumnos,
  Ingenium ut Regi ſerviat omne ſuo.

Agnoſco vultus, agnoſco carmina Vatum;
  Quantus io, Siren, hinc tibi ſurgit honor!
Jamque alii heroo ſubnectunt crura cothurno,
  Jam lyricis alii concinuere modis.
Et poſſunt magno plectris certare Maroni,
  Et poſſunt citharam, Flacce, referre tuam.
Ille canit ſilvas nato jam Principe dignas,
  Et decet argutam fiſtula ſumpta manum.
Huic placet alterno ſaliens elegeia paſſu,
  Et numeros implet, culte Tibulle, tuos.
Quid referam brevibus complexa epigrammata nodis,
  Invidiſſe quibus Bilbilis ipſa queat?
Quid referam dulci venientes gutture cantus,
  Quos parit undeno ſyllaba certa ſono?
Omnibus idem amor eſt, quamquam non omnibus idem
  Eſt modus; imparibus res ſonat una modis.
Pace tua noſtro concedes, Gallia, Pindo,
  Sequana Sebetho jam minor ire poteſt.
Tu Regi Heſperiam tribuis felicior Aulam,
  At Siren Aulam doctior Aoniam.

TEMPORIS CELERITATEM HOROLOGIIS NEQUICQUAM METIMUR.

ELEGIA XXXV.

QUid prodeſt vitreo clauſiſſe in carcere tempus,
  Cum numerat longam clepſydra parva diem?
Tempore quid levius? quid marmore durius ipſo eſt?
  Dura tamen celeri marmora dente vorat.
Nec male compactis adeo prætervolat alis,
  Sentiat ut clauſas Icarus alter aquas.
An vitreæ poſſint illud retinere catenæ,
  Pennaque ſuppoſitis humida ceſſet aquis?
An potius lacrymæ ſunt hæ, quas cernimus, undæ,
  Quas ipſa ex oculis temporis ira ciet?
Fruſtra jam lacrymæ gemitu ſparguntur inani,
  Non exorato quas fugit ala pede.

Nequic-

Nequicquam inſpecta ſolem metimur ab umbra,
  Ut quota ſit poſito appareat hora ſtilo.
Mœnia lineolis docta diſtinguimus arte,
  Temporis ut punctum linea ducta notet.
Illæ dum vario referentes retia tractu
  Inſidias puero compoſuere Seni;
Ipſe tamen ſolito calcat ſpatia addita paſſu,
  Retia nec pennis inſidioſa timet.
Sit licet & Senior, multiſque incurvus ab annis,
  Et queat ætatem vix bene ferre ſuam;
Non eget admoto baculi fulcimine ferrei,
  Quo relevet longâ corpora laſſa viâ.
Qui tamen exiguo cohibere in pulvere curſus
  Temporis optavit, ſtultior ille fuit.
Tamquam ſumma levi nequeat percurrere motu,
  Et celerem mollis tardet arena ſenem.
Ille vel intacta ponit veſtigia terra,
  Signaque nulla ſolum prætereuntis habet.
Qualis & accepta ſurgit luctator arena
  Promptior, ad curſus ſic viget ille novos.
Anne putas tempus parili ſedarier arte,
  Ruſticus ut jacto pulvere ſedat apes?
Hei mihi! ſed pulvis cinis eſt; phialæque ſepulcrum;
  Vitæ ubi præcipites monſtrat arena dies.
Talis eris, cum mox fato clauderis acerbo,
  Conteget & cineres flebilis urna tuos.

DE PACE

ELEGIA XXXVI.

QUo me Pierius per amica ſilentia Pindi ,
  Et juga lauretis conſita raptat amor !
Carmina amem , cantuſque inglorius ! o ubi colles ,
  Fluminaque , & latices , Caſtali lympha , tui !
Antra juvant Phœbea , ſacros qua multa penates
  Veſtit io ramis laurus opima ſuis .
Arma procul , criſtæque leves , lituique , tubæque ,
  Raucaque , quæ ſomnos claſſica pulſa fugant .
Pax animos recreat ; pacem qui non amat , illum
  Crediderim hyrcanas progenuiſſe tigres ;
Aut duram Iſmariis vitam duxiſſe ſub antris ,
  Aut inter libycas , ora cruenta , leas .
Pace quid utilius ? quid bello triſtius unquam eſt ?
  Efferat hoc homines , edomat illa feras .
Bellum ſæpe ſuis fudit terroribus urbes ;
  Pax etiam ignotam conſociavit humum .
Bellum fraterno conſperſit ſanguine muros ,
  Et rabida adverſas duxit in arma manus ;
Aurea pax animis aluit concordibus orbem ,
  Felices ſemper juſſit & ire dies .
Illud proſciſſa ſequitur diſcordia palla ,
  Et metus , & quatiens pectoris ima pavor ;
Hanc choreæ , cantuſque juvant , nulloque retenta
  Corda metu , & tutæ pacis alumna quies .
Quám bellum turbat , nulli coluere juvenci ,
  Nec fructus ſolito fenore reddit humus ;
Pax ubi blanda redit , lætos jubet eſſe colonos ,
  Et nutrit fauſto numine rura Ceres .
Scilicet & ſtudiis eadem quæ præſidet , armis
  Præſidet , & ſceptrum Pallas utrumque tenet .
Quæ ſacris lauros innectit ſæpe corollis ,
  Hæc eadem torquet ſpicula certa manus .

Et

Et nunc florentis ramum prætendit olivæ,
  Horrida nunc haſtæ pondera iniqua gerit .
At tua Belligeræ laus eſt minor, inclyta Virgo ;
  Gratius hoc nomen , docta Minerva , tibi eſt .
Ergo tua Bellator opem ſibi quærat ab haſta ,
  Et te belligeram caſtra ſecutus amet ;
At mea pacatæ præcingat ramus olivæ
  Tempora ; quæque foves otia docta ſequar .

IN OBITU PRINCIPIS MATRONAE

E L E G I A XXXVII.

ERgo jacet Catharina ! quis ah, quis candida rupit
  Stamina , felici tam bene ducta colo ?
Cur tantum potuit tibi Mors male ſana licere ?
  Debueras avidas abſtinuiſſe manus .
Ultra femineas auſa eſt ſe attollere laudes,
  Naturam ingenio vincere docta ſuo .
Nam ſive ingenuas ſe demittebat ad artes,
  Mens illi ingenuis artibus apta fuit .
Sumpſiſſet citharam , poterat comes ire Minervæ ,
  Aonium poterat mixta decere chorum .
Illa quidem æternos meruit vixiſſe per annos,
  Et fati extremum non obiiſſe diem ;
Non te crudelem tellus, cæcamque vocaret ,
  Raptaque non crimen , Mors, foret illa tuum.
Fallimur ? an tantum rapuerunt ſidera lumen ?
  Muneraque invidit, quæ dedit ante, Polus ?
Sic eſt : illa ſolo felix abſceſſit , & aſtris
  Inſeruit meritum non moritura caput.
O fortunatam, patria quæ regnat in aula,
  Et fruitur viſo facta beata Deo !
Illa quidem nunc ſe circumſpicit, & ſibi dicit
  Se bene mortales diſpoſuiſſe dies ;
Quæque pudicitiæ centum produxit in annos
  Lilia, ſidereis mixta nitere roſis.

Nam quos ſuſtinuit , ſtaret dum vita , labores,
  Deliciis dius nempe rependit Amor.
Vive diu , cælumque novis ſplendoribus auge
  Inter ſidereas addita ſtella faces .
Semper culta tibi ſedes Agnæa paravit ,
  Qua rutilat , nomen quæ via lactis habet .
Illic Virgineus rutilat chorus ; inde relictum
  Ultro deſpicies altior ipſa ſolum .

IN ANTONII GRIMANI NATALEM DIEM.

E L E G I A XXXVIII.

MIrabar quid tanta hilares ad gaudia Muſas
  Duceret , & faciles ad ſacra plectra modos .
Annua lux remeat , quæ , te naſcente , ſerena
  Antoni , quondam fulſit , & alba ſolo .
Ergo iterum veniant concepta ad carmina Pindi
  Numina , Phœbeus concitet ora calor .
Atque omnes pariter, quæ cuique eſt copia, Muſæ
  Nunc tibi Parnaſſi e vertice dona ferant .
Pars tua ſublimi attollat bene facta cothurno;
  Evehat & cantu nomen in aſtra tuum .
Pars celebret niveos auguſto in pectore mores ,
  Virtutemque novis laudibus accumulet .
Hæc Patriam Adriacis regnantem in fluctibus ornet ,
  Quæ nulli ſubdit libera colla jugo .
Illa genus referat, priſcamque ab origine Gentem,
  Condat & in veteres nobile nomen Avos .
Aſt aliæ Patruum ſtellis æquare laborent,
  Cui meritum duplici ſplendet honore caput.
Dulcia Parthenope modo qui dat jura fideli,
  Et regit Euboicum non oneroſus equum .
Cujus ab auſpiciis , virtutum exempla ſecutus ,
  Inſtituis vitam ſedulus ipſe tuam .
Quæ precor ut multos funeret jucunda per annos,
  Natalem referens candida ſæpe diem.

UM-

UMBRAE LAUS.

ELEGIA XXXIX.

SIm licet informis, rebus formamque, decuſque
  Addo; facit nullum me ſine Pictor opus.
Aſpice quam varias referat depicta figuras
  Aula; quid illa, precor, ni foret umbra, foret?
I nunc, & rebus me dic auferre colores,
  Meque jube falſi criminis eſſe ream.
Docta Matheſis erit teſtis, cui multus in umbra
  Eſt labor, & multum cui parit umbra decus.
Si juga, ſi celſæ metitur culmina turris,
  Metitur noſtro culmina celſa gradu.
Ipſum etiam Solem viſa, quis crederet? umbra
  Diſcit, & æthereas, tempora certa, vias.
Ingenium, fateor, verſat me mobile; namque
  Si ſequeris, fugio; ſi fugis, ipſa ſequor.
Sum levis; at nullus, niſi ſi prius ipſe movetur,
  Me poterit quavis arte movere loco.
Filia ſum lucis, luciſque inimica; parentem
  Ipſo, quo naſcor, tempore, cogo mori.
Cernere me nequeas, niſi cum nil cernere poſſis:
  Tunc videor, cum ſe quiſque videre negat.
Prendere ſi cupias, fruſtra conabere; fruſtra
  Protinus eluſas eſſe querere manus.
Sum tua, nec tua ſum: toto me corpore longe
  Abjicis, abjectam nec tamen ire vides.
Me ſine ferre gradum nuſquam potes: imus, & una
  Stamus; & inceptæ ſum comes uſque viæ.

DU-

DUBIUM ANIMUM AD VIRTUTEM PHOEBUS HORTATUR.

E L E G I A XL.

QUalis in Oceani puppis deprenſa procellis,
  Dum furit hinc Boreas, dum furit inde Notus,
Hæret, & incertis jactatur fluctibus; undâ
  Dum premitur, dubiis innatat illa vadis;
Artis inops jam vela negat ſe poſſe magiſter
  Dirigere, aut remis ſuſtinuiſſe viam:
Quodque magis timeat, neſcit; tamen omnia terrent;
  Ingeminant cæcos ventus, & unda metus:
Sic ego diverſis, incerto pectore, curis
  Diſtrahor, & dubias cogor inire vias.
Nam modo læta placent virtutis præmia menti,
  Et modo ſecuris otia blanda jocis.
Urget io ſtimulis me dudum Gloria; quæ me,
  Quæ nomen ſpondet tollere ad aſtra meum.
Neſcio quid tamen hinc retrahit; monſtratque ſequenti
  Difficiles aditus, difficileſque vias.
Utque velim, potuiſſe negat; vireſque, animumque
  Subtrahit, & trepido deſerit uſque ſinu.
Quid ſequar, ignoro; cupio tamen ardua: ſed dum
  Et cupio, & vellem, languida vota cadunt.
Quis mihi me rapit? ite meis contraria votis
  Vota, ſecuturo quis negat aſtra mihi?
Si quis ades, bonus o faveas tam multa moventi;
  Sollicito faveas, ſi quis amicus ades.
Hæc ego dum quererer, vitam indignatus inertem,
  Delius ante oculos viſus adeſſe mihi eſt.
Qui pariter niſuſque leves, animoſque morantes
  Increpuit; tali commonuitque ſono.
Ardua ſint quamvis virtutis limina, paucos
  Quo vehit anguſta ſemita longa via;
Ardua res amor eſt etiam, cui nulla videtur
  Ardua res; faciunt cui loca nulla moram.

Aut

Aut hic cunƈta ſibi leni proclivia traƈtu
  Invenit, aut ſi non invenit, ipſe facit.
Ille faces addit ſtudiis ardentibus; iſtas
  (Ne pereant) famæ ventilat aura faces.
Aſpice Mæoniden, & quo ſe jaƈtat Alumno
  Mantua, qui clara concinuere tuba.
Aſpice contortos magni Demoſthenis ignes,
  Quique gravis latio Tullius ore tonat.
Hos celebris totum memorat jam fama per orbem,
  Terra neque ulla virûm nomina tanta ſilet.
Scilicet hoc illis ſtudium dedit: improbus illos
  Limina virtutum duxit ad alta labor.
Unus Amor duros potis eſt ſuperare labores,
  Unus io rerum tædia vincit amor.
Utilior menti labor eſt, quam cura quietis;
  Dum levat iſta, premit; dum premit ille, levat.

AD PAMPHILUM

IN OBITU D. AURELIAE SANSEVERINAE.

E L E G I A XLII.

SIc mihi te ſuperi, ſic te tibi Pamphile ſervent,
  Sic tua perpetuo candida luſtra fluant;
Tu ne putas noſtro ſolitas in peƈtore vires
  Carminis aſſuetum poſſe ciere melos?
Attamen hoc bene, quod mœſtas adhibere querelas,
  Triſtiaque Aureliæ funera flere jubes.
Nempe ſeneſcentem deceant lugubria Muſam,
  Nec res eſt tremulis aptior ulla modis.
Flebimus, & gemitu luƈtantia verba premente,
  Quamlibet incompto carmine vena fluet.
Flebimus: ipſa ſuum pariter vulgare dolorem,
  Atque viam lacrymis pandere Muſa volet.
Nam neque te ſolum tangant hæc funera: tangunt
  Me quoque, nec luƈtu corda carere ſinunt.

Scili-

Scilicet immatura bonis quandoque peremptis
  Mors venit, ah! cunctis jure dolenda venit.
Quis, rogo, non doleat ſubiti ceu turbinis æſtu,
  Succiſam medio in vere fuiſſe roſam?
Quodque polum nitida luſtrabat lampade ſidus,
  Ante horam radios occuluiſſe ſuos?
Credideram ſeros olim manſura per annos
  Aurea felici ſtamina ducta colo.
Credideram: neque enim tarda fuit ulla ſenecta
  Dignior, aut vita ſplendidiore frui.
Quam faciles illi niveo ſub pectore mores!
  Quique ſuum poſſent nempe decere genus.
Quis decor in vultu! puræ quæ gratia formæ!
  Vix tamen hanc tulit in laudibus ipſa ſuis.
Namque animi, mentiſque magis ſtudioſa colendæ,
  Pluſquam femineis viſa nitere bonis.
Illius in gremium nil non Natura profudit,
  Dona tamen virtus addita plura dedit.
Atque utinam! Sed quid voto deludor inani?
  Digna diu vitam ducere, juſſa mori eſt.
Febris edax lento vires abſumpſerat igne,
  Quo ſibi mors tacitam ſterneret ante viam.
Pallidus ora calor, macies infecerat artus,
  Liquerat & ſolitus languida membra vigor.
Improba vis morbi corpus jam læſerat ægrum:
  Sed corpus valuit lædere, non animum.
Namque aliquis meliora jubens ſperare jacentem,
  Adderet optatis dum bona verba ſuis;
Illa ſibi conſtans, animoſque induta viriles,
  Siccine me, dixit, fata timere putas?
Mors hominum commune malum; non audeat ullus,
  Qui ſe mortalem noverit eſſe, queri.
Non ita, dum licuit, conceſſos viximus annos,
  Ut pudeat vitæ, pœniteatve meæ.
Nec modo dum ſua jura ſibi Natura repoſcit,
  Poſcenti renuam ſuppoſuiſſe caput.
Quod ſuprema mihi nimium properaverit hora,
  Noſtraque lux medio ſit peritura die;

Reſpe-

Reſpectu fortaſſe mei, fortaſſe meorum
  Ut doleant alii; credite, non doleo.
Cui Natura jubet morituram cedere fato,
  Hoc mea me virtus non timuiſſe docet.
Sic ait, opperiens invicto pectore mortem,
  Et vultu dictis conveniente ſuis.
Non illam virtus valuit ſubducere leto,
  Non clarum antiqua nobilitate genus.
Occidit heu! docuitque ſuo jam mortua caſu,
  Quam nimium fragili ſtent bona fluxa gradu.
At tibi, quæ noſtro gaudes libitina dolore,
  Aureliæ magnum funera crimen erunt.
Nullaque crudelem te poſt non arguet ætas,
  Et peraget populi Judicis ore ream.
Te meus ante alios fato perculſus acerbo
  Pamphilus, indignis arguet uſque modis.
Neu tibi ſic placeas, noſtris lætata querelis:
  Arbitrio multum detrahet ille tuo.
Quidquid & Aureliæ poterit ſupereſſe ſepultæ,
  Servandum famæ, te renuente, dabit.

JOANNI DE NICASTRO EPISCOPO CLAUDIOPOLITANO.

E L E G I A XLII.

ARguar, & merito, ſi te Nicaſtre, tuumque
  Prætereat tacitum noſtra Camena decus.
Nam noſtræ quæcunque viget nunc fama palæſtræ,
  Cœpit ab auſpiciis illa vigere tuis.
Lumen ut acceptum referunt aſtra omnia Phœbo,
  Sic quod habet lucis noſtra Minerva, tuum eſt.
Auſpice te rurſum Pindi nemus omne vireſcit:
  Auſpice te Muſis gloria priſca redit.
Atque utinam noſtro reſonet tam lenis in ore
  Spiritus, ut merito par queat eſſe tuo.
Cum Mæcenates referant jam ſæcula, vatis
  O mihi Mantoi qui det habere tubam!

Quæ-

Quæque tuas celebret ſublimi carmine laudes;
  Unde ſibi captet non minus ipſa decus.
Quæ canat ut puerum præclaro germine cretum,
  Et Charis, & Pietas foverit alma ſinu.
Mox ubi creſcenti paullatim adoleverat ætas,
  Imbuerit ſtudiis docta Minerva ſuis;
Addideritque animos, mentemque ad grandia factam,
  Poſſet ut in puero culta referre virùm.
Et niveos dederit juvenili in pectore mores,
  Et ſeros animi laude præire dies.
Pars quota ſed rerum ſunt hæc, Nicaſtre, tuarum!
  Metimur parvo culmina celſa pede.
Novimus, ut ſemper doctas ornaveris artes:
  Nam ſacra fœtum Pallade pectus habes.
Novimus, ut primos Prudentia cœpta ſub annos
  Implerit pectus tempus in omne tuum.
Hinc ſibi te faciles, animiſque volentibus omnes
  Prætulerunt, nullo non tribuente locum.
Hinc merito, Patrum ſacro plaudente Senatu,
  Acceſſit titulis Infula ſacra tuis.
Nunc ubi ſumma tibi rerum hic conceſſa poteſtas,
  Et regis, & Paſtor ſubdita corda beas.
Sed quid ego hæc autem nulli non nota revolvo?
  Conor & exiguis magna referre modis?
Tu bone, quidquid id eſt, audet quod noſter Apollo,
  Excipias vultu non renuente, precor.
Rebus enim in magnis, ubi non eſt tangere metam
  Viribus exiguis; eſt voluiſſe ſatis.

NUPE-

NUPERA VESUVII MONTIS ERUPTIO, MORUM DISCIPLINA.

ARGUMENTUM.

VEsvius, ejectique Cavis fornacibus ignes,
Quique Polum obduxit nigra permixtus arena
Fumus, & hinc atque hinc vario per devia curſu
Fluminis in morem diſperſa incendia, nobis
Carmen erunt; at non vanum ſine pondere carmen,
Non etenim ſequimur veterum mendacia vatum;
Auſos nempe Jovi quondam fera bella Gigantes
Inferre, & montes imponere montibus altos;
Tum trepidos toto dubia in certamina cælo
Concurriſſe Deos: Ipſum ſed fulminis ictu
Caſtra Jovem, moleſque ſuper fudiſſe, ſuperbamque
Evertiſſe manum: vaſtis hinc rupibus omnes
Oppreſſos, meritas ſcelerum dependere pœnas:
Sed tamen immodicos iræ fremere intus, & atras
Eructare ſinu flammas, cæloque minari
Terrigenas, cæci veſtigia ſæva furoris.
Hæc ſit mendacis vulgata licentia famæ:
Nos aliud molimur opus, meliora ſecuti
Argumenta, quibus mens ipſa, animuſque ſua ſe
Attollat virtute, pioſque in pectore ſenſus
Concipiat, diſcatque ſuos componere mores.

Digitized by Google

E VESUVIANO INCENDIO

EXTREMAE CONFLAGRATIONIS RECORDATIO.

ELEGIA XLIII.

CUm ſubit illius ſpecies triſtiſſima lucis ,
  Qua vomuit lato Veſvius ore faces ;
Cum repeto flammas , vaſtoque incendia tractu ,
  Et quos præterea lux tulit illa metus :
Tunc ſubit extremæ tempus fatale ruinæ ,
  Omnia cum rapido ſunt abolenda rogo .
Et recolo pœnas , quas tum dabit impia tellus ,
  Quæque prement miſeros ultima damna reos .
Protinus ingenti turbantur gaudia luctu ,
  Nec jam lucra mihi , deliciæque placent .
Quid juvat , heu ! terras alio ſub ſole jacentes
  Quærere , & ignotas currere claſſe vias ?
Quid repetita juvant aliis compendia Regnis ,
  Sive tuis Perue , ſive Corinthe tuis ?
Demens , cui vano placet indulgere labori ,
  Congeſtaſque diu ſervat avarus opes :
Et ſtruit immenſo ruitura palatia ſumptu ,
  Et centena ſuis jugera bobus arat .
Omnia ſunt peritura : ſuum manet omnia fatum ;
  Ultima decreta eſt omnibus una dies .
Undique ſuccenſi flammis victricibus ignes
  Excidium terris , terrigeniſque ferent .

SUPER-

SUPERBOS ANIMOS EXEMPLO VESUVII DEJICIENDOS.

E L E G I A XLIV.

POne ſupercilium, frontem demitte ſuperbam
  Quisquis es, & faſtus contrahe vela tui.
Quo tuà te nimium ſublato vertice tollit
  Stultitia, & merito deficiente, tumor?
An, tibi quod phrygiis domus eſt innixa columnis,
  Plenaque ſepoſitas arca flagellat opes?
An quod amicitias multo ſplendore nitentes
  Turpi quæſitas ambitione colis?
An quod conciliat populi fortuna favorem,
  Servit & obſequio pendula turba tuo,
Inde tumes? paſſuque, gravis ceu pompa, ſuperbo
  Incedens, vultum deſpicientis habes?
Vana eſt iſta tuæ fiducia mentis: in altum
  Quæ tollunt, animi te levis eſſe probant.
Vidiſti cinere infeſtum, fumoque Veſevum,
  Jactantemque cavo ſaxa, faceſque ſinu?
Num, licet emiſſus magna vi fumus in aſtra,
  Qua cœpit, potuit tendere in aſtra via?
Quo magis erigitur, vacuaſque aſſurgit in auras,
  Hoc magis a vento quolibet ille perit.
Dum petit aſtra, moras patitur, preſſuſque reſiſtit,
  Ludibrium Cauris, ludibriumque Notis.
Impetus ille, furorque ſuo quoque fine reſedit,
  Et formidatæ detonuere minæ.
De tanto rerum ſtrepitu quid denique reſtat?
  Horror, & in ſterili putris arena ſolo.
At tu, ſi ſapis, exemplo moderabere faſtum;
  Exemplo te mons inſtruet ille ſuo.
Ergo nec nimium fortunæ crede favori:
  Eſt levis, & certam non habet illa fidem;
Nec felix opibus quemquam deſpexeris: Irum
  De Crœſo fieri te quoque poſſe puta.

E Deni-

Denique quidquid id eſt, quo te miraris, & effers,
Eſt levius fumo, vilius eſt cinere.

IMPETUS IRAE COHIBENDOS VESUVIUS DOCET.

ELEGIA XLV.

TU quoque, qui nimium ſubitas aſſurgis in iras,
Cui jecur, & triſti pectora bile tument,
Diſce memor quid te doceat Veſuvius: iræ
Nam documenta tuæ, quæ dare poſſit, habet.
Mons animo ſimilis: res utraque plena favillis;
Ille ſuas nutrit, nec minus iſte ſuas.
Ardet apex illi, penitus dum viſcera fervent;
Igne micant oculi, corde fremente, tui.
Ille vomit ſævos ruptis e faucibus ignes;
Tu vomis in ſocios aſpera verba tuos.
Emiſſus nullis cohibet ſe legibus ignis;
Et tua ſe nullis legibus ira ciet.
At non ante tamen vicinos perdere campos,
Quam ſe perdiderit Veſvius igne, poteſt.
Sic tua non alios unquam iracundia lædet,
Crede mihi, quin te læſerit illa prius.
Viſcera montis edunt, quos nutrit Veſvius, ignes;
Quamque foves, damno paſcitur ira tuo.
Si, dum prima calent vivacis ſulphura montis,
Utiliter fuſis obruerentur aquis,
Abdita non alerent nocituras viſcera flammas,
Nec mala vicini tot paterentur agri.
Sic tua cum primo ſentis agitata furore
Pectora, compreſſis motibus ira cadat.
Opprime, dum nova ſunt, ſcintillæ ſemina parvæ:
Gliſcet in immenſum ſpreta favilla rogum.
Mons tamen ille nequit motas compeſcere flammas;
Sic agit, & cauſſa eſt, cur ita ſemper agat.
Tu potes internos animi compeſcere motus;
Nam cur arbitrium prævolet ira tuum?

Ergo

Ergo tuam nuſquam ferat hæc inſania mentem,
Sed potius ratio, conſiliumque regat.

VESUVIUS EMISSA IN CAELUM SAXA RURSUM EXCIPIENS DOCET IMPIOS SUIS IPSOS LAEDI VIRIBUS.

ELEGIA XLV.

CRedimus? an vani finxerunt omnia Vates,
Titanas plecti mole, Veſeve, tua?
Aſt ego non auſim falſi damnare Poetas,
Plurima qui ficto cortice vera tegunt.
Stulta gigantei quamvis molimina belli
Fabula ſint; mores inſtruit illa tamen.
Heu genus humanum, cæcis conatibus audax,
Non ipſi dubitat bella movere Polo!
Dum tumidam attollit veſana ſuperbia mentem,
Et Domino, ſpreta lege, ſubeſſe negat;
Hoc eſt in Superos pugnare audentius: hoc eſt
Impia ſacrilega ſtringere tela manu.
Tela ſed hæc Cælo fruſtra, Diviſque minantur,
Omnia in auctores mox reditura ſuos.
Vesviaca quicumque gravi ſub mole laborat
Cœus, an Enceladus, centimanuſve Gyges,
Quid ſtruit, in cælum flammas, liquefactaque ſaxa
Ejiciens, velut his terreat aſtra minis?
Demens, qui proprio retractat prœlia damno,
Ingemit & furiis læſus ab ipſe ſuis.
Quotquot enim ſurſum lapideſque, igneſque ſuburget,
Sentit in auctoris mox recidiſſe caput.
Sic eſt: promeritos feriunt ſua tela rebelles,
Quamque movent, proprio eſt mota ruina malo.

PRUDENTIAE LAUS AD GUICCIARDINUM.

ELEGIA XLVI.

NOn una eſt rerum facies ; adverſa ſecundis
  Miſcet , & alternat ſors male fida vices .
Et modo ridenti ſpondet felicia vultu ,
  Et modo fatales increpat illa minas .
Quæque prius ſævâ ſpargebat fulmina dextrâ ,
  Mox eadem rutilas fundit amica roſas .
Mortales variis agitamur caſibus omnes ,
  Nullaque conſtanti profluit hora fide .
Et modus , & ſollers igitur Prudentia rebus
  Adſit , quæ dubias temperet arte vices .
Naufragus errabit , ſi tempore neſciat uti ,
  Qui regit in dubio gurgite Nauta ratem .
Sive opus eſt remis , pellenda eſt remige puppis ,
  Sive opus eſt velis , lintea danda notis .
Ut ſcopulos vites , Boreæque obnixus , & Auſtro,
  Cæca ſuperfuſo quos tegit unda ſalo,
Apta tibi præſto fuerint moderamina Clavi ,
  Qui dubium certo limite flectat iter .
Ille dabit flexu facili vitare procellas ,
  Ille dabit pelagi nil timuiſſe minas .
Quidquid agat, ſemper caſus Prudentia vincit ,
  Illius & curſum quælibet aura juvat .
Scit bene , qua ſpirent implentes carbaſa venti ,
  Scit bene , quo lateant monſtra inimica vado .
Teſtis eris noſtræ , tu Guicciardine , camenæ ,
  Teſtis erit factis addita fama tuis .
Te primis puerum virtus effinxit ab annis ,
  Et tenerum ſtudiis imbuit alma ſuis ;
Conſiliique dedit vires , quo Neſtora poſſes
  Vincere, & ætatis mente præire moras ;
Addidit illa animum , pectuſque ad grandia factum ,
  Atque ſuas in te prodiga fudit opes .

Omni-

Omnibus hinc tibi mens rebus ſatis apta gerendis,
Et valet ingenium munus in omne tuum.
Seu tibi ſupremi dentur moderamina Clavi,
Tuta ratis currit, te moderante, vias:
Seu tibi committant, ſi quid magnum inſtet agendum,
Quanta ſit ingenii vis patet inde tui.
Quantum conſilio, quantum prudentibus orſis,
Quantum animo valeas, Gallia teſtis erit.
Scindebat varios agitans diſcordia Fratres,
Non mens una illis, non amor unus erat.
Jam ſibi Relligio non mollia damna timebat:
Diſcordes animos quis niſi jure timet?
Qui verſas pridem ſtudia in contraria mentes
Conſilio poſſes compoſuiſſe tuo,
Mitteris ipſe, Patrum toto plaudente Senatu,
Nempe ferens gentis votaque, ſpemque tuæ.
Nec tua ſucceſſu caruit Prudentia, nec ſpes
Quæ de te fuerat maxima, vana fuit.
Compoſitæ mentes ſubito; diſcordia ceſſit;
Optatæ rediit pacis amica quies.
Qualis, ubi obſcura denſatæ nocte tenebræ,
Nubilaque æthereas occuluere faces,
Sol rediens cæcas radiis procul ejicit umbras,
Et revehit purum purior ipſe diem.
Quis mihi nunc famam celebret ſapientis Ulyſſei,
Quo majus nullum Græcia nomen habet?
Te videam, nec jam tantum mihi nomen Ulyſſes,
Nec tantum, ſi quod Græcia majus habet.

VILLA CAPIMONTANA.

ELEGIA XLVII.

Eſt locus, attollens qua ſe Capimontius alto
Vertice, Sirenis ſpectat ab arce domos.
Huc animi cauſſa ſtudiis addicta ſeveris
Lojolidum Pubes læta venire ſolet.
Scilicet aſſidui ne frangant corda labores,
Neu mens a ſtudii pondere victa cadat.
Non bene perpetuis intenditur ictibus arcus,
Non bene perpetuo terra quiete caret.
Corporis ut vires, defeſſaque membra labore,
Sic animi vires recreat apta quies.
Ergo huc conveniunt juvenes, collemque ſalutant,
Concipiuntque hilari gaudia læta die.
Quiſque opus aggreditur, quæ cuique eſt grata voluptas;
Hic legit, hic hortum circuit, ille ſedet.
Præcipue tamen aſſueto ſua brachia ludo
Exercent, certas expediuntque vices.
Area plana jacet: circumſtant undique ſepta:
Eminet e media ferreus orbis humo.
Ferreus eſt quamquam, tamen eſt verſatilis ille,
Parte bonum ſoliti dicere, parte malum.
Hac nempe, ut vincas, pulſu percuſſus oportet
Felici bis ter ligneus orbis eat.
Namque globos binos hinc atque hinc læta juventus
Corripit, artifici trudere docta manu:
Hos vario exercent luſu, pelluntque, repelluntque
Emittuntque foras, impediuntque viam.
At ne forte aliquis medium ſuſpenderit ictum,
Fallacique ſuam torqueat arte manum,
Poſcitur, ut recto proſpectet lumine Judex;
Præſto etenim Judex unus & alter adeſt.
Aſt ubi jam quintum felix abſolverit ictum,
Hoc bene, victor ait, cedite: palma mea eſt.

Sic

Sic juvat integros ludo producere ſoles,
Sic juvat æſtivos fallere ab arte dies.
Donec tota cohors paſſim conclamet, Eamus:
Noxque pedem jubeat ſera referre domum.

ETHICES LAUS.

ELEGIA XLVIII.

SOcraticum primo noſtra hæc Sapientia pectus
Imbuit, auſpiciis inſtituitque novis.
Hinc homines inter fama clariſſimus unus,
Omnibus hinc olim doctior ille fuit.
Namque ubi mortales illo didicere magiſtro
Utilius mores compoſuiſſe ſuos,
Creditus eſt animo ſedes adiiſſe Deorum,
Ignotas aliis auſus inire vias:
Magnaque luſtrato repetens compendia cælo,
Virtutum in terris aſſeruiſſe choros:
Quaque iter ad ſuperos eſſet, quave arte liceret
Scandere cæleſtes edocuiſſe domos.
Ille quidem pleno ſaperet cum pectore, ſæpe
Talia, nec vulgo cognita, verba dabat:
Nequicquam genus æthereo jactamus Olympo,
Degeneres animos crimina noſtra probant.
Sidera metimur puro radiantia cælo,
Aſt animi voto non libet illa ſequi.
Et numeros rerum, & certas ex ordine leges
Diſcimus, & varias per ſua ſigna vices;
At quota pars novit proprios componere mores,
Pars quota ſcit, vitam qua regat arte ſuam?
Credite, quam colitis, non eſt ſapientia tanti,
Ut levis hinc famam nominis ire velim:
Non ſapit, arcanas rerum cognoſcere cauſſas
Qui potuit; qui ſe noverit, ille ſapit.
Vos quoque, quos auri ſemper damnoſa cupido
Raptat agens, merito pectus habere negem:

Fluminis in morem decurrunt iſta, fugaci
  Proripiunt pariter noſtraque, noſque pede.
Si qua etiam interea lux eſt, quæ ſplendet in illis,
  Hei mihi quam parvam lux habet illa moram!
Nec minus eſt fugienda animo damnoſa voluptas,
  Quæ tegit illecebris certa pericla ſuis.
Crimen habent luſus, quos non pudor almus honeſtat,
  Quæ mentem lædunt gaudia, crimen habent.
Quid redimita juvat foliiſque, & floribus haſta,
  Tinctaque quid dulci ſpicula melle juvant?
Si tibi non minus hinc certo mors imminet ictu,
  Si laceros habeas non minus inde ſinus?
Dum legis incauto vernantes pollice flores,
  Vipera te nocuo ſubdola dente petit.
Mixta venenato dum ſumis pocula ſucco,
  Hoc magis illa nocent, quo magis illa placent.

IN SCRIPTOREM ANONYMUM OPERIS DE CATTANEA GENTE.

ELEGIA XLIX.

DUm tua Cattaneos, præclaram ex ordine Gentem,
  Victuro celebrat pagina docta ſtilo;
Accedit noſtris hoc tandem plauſibus, inquit
  Fama: meæ dudum res erat illa tubæ.
Dum tamen acta virûm laudatque, & ſuſpicit; & dum
  Quem ferat Auctorem, forte requirit, opus,
Nomina nulla videt: tantum loca ſola colentem
  Invenit: hoc unum pagina prima notat.
Et, fugimur, ni fallor, ait: præconia vulgi
  Negligit, & noſtri, qui latet, oris opes.
Sed fugiamur: erit quo blande ulciſcar, honores
  Vulgabit Proavûm, nec minus ille ſuos.
Et quamquam loca ſola tenet; loca ſola tenentem
  Inſequar, in ſolis ſum comes ipſa locis.
Quaque latebit, io palmæ, laurique ſequaces
  Creſcite, & in titulos ſurgite rite ſuos.

Dixe-

Dixerat : & palmas paſſim, lauroſque videres
  Creſcere, & in titulos ſurgere rite tuos.
Hanc tu, ne pereat, præſtanti germine ſilvam
  Ingenii vena nobiliore rigas.
Illa Atavos, Proavoſque, utraque a Pallade claros
  Heroes, gemino robore ſilva refert.
Illa tuiſque, tibique, novum decus, inclyta præbet
  Serta, tuas ornet queis modo Fama comas.
Utque velis latuiſſe, ſequax vetat iſta; latentem
  Invenit, & tacitum non ſinit eſſe decus.
An per te vivent etiam poſt fata Parentes,
  Ignorent nomen poſtera ſæcla tuum?
Major at ipſe tamen titulis non tangeris iſtis:
  Plus aliquid ſpectas, quam rude vulgus amat.
Negligis & laudes, & inanis murmura famæ,
  Splendida, ſed quamvis ſplendida, vana tamen.
Macte tua virtute: Polo ſic certius itur;
  Sic tibi ſtat fato nobiliore decus.

IN OBITU P. MICHAELIS MONDEGAJI, EXIMII POETAE, E SOC. JESU ACADEMIA PARTHENIA.

E L E G I A L.

URbe procul, ſtrepituque fori, vulgique tumultu
  Avia dum tacito metior arva gradu,
Pompa oculos inopina ferit, mentemque animumque
  Abripit, & memorem vix ſinit eſſe mei.
Mira quidem, ſed vera canam: fortaſſe negabit
  Poſteritas dictis pondus ineſſe meis.
Collis erat, collem cingebat laurea Silva,
  Ipſo ſublimis vertice Phœbus erat;
Cui latus hinc atque hinc cingebant undique Vates,
  Parthenope ſtudiis quos alit alma ſuis.
Vidi oculis, vidi ipſe meis, habitumque notavi,
  Oraque, & ad certos carmina flexa modos.

Carmi-

Carmina certatim, Phœbo dictante, canebant,
Hei mihi ! ſed noſtro non imitanda ſono.
Dum canit ille, præitque; ſilent ex ordine Vates;
Alternis Vates, dum ſilet ille, canunt.
Quam bene plectra cient omnes ! queis credere poſſis
Carmina Sirenes compoſuiſſe ſuas.
Quam bene multiplicis reſonant diſcrimina linguæ !
Culta tamen proprio quæque lepore nitet.
Ille Palæſtinis cantum ſermonibus haurit;
Ille liquat Grajo mollius eloquio:
Hunc juvat antiquæ gravior facundia Romæ,
Hunc juvat Etruſcæ tangere fila lyræ.
Cumque foret cantus ratio non omnibus una,
Materies tamen his omnibus una fuit.
Argumentum ingens, & tanti pompa theatri,
Tu MICHAEL, docto digne reperte choro:
Convenere tuas cupidi componere laudes,
Et merito Aonia intexere ſerta tuo.
Te lyra, te citharæ reſonant Heliconides, & te
Lecta cohors gaudet ferre per ora virûm.
Hærebam tacitus, grataeque in imagine pompæ
Totus eram, nullos voce movente ſonos:
Cum me proſpiciens notis e Vatibus unus,
Quin ades, & nobis te quoque jungis? ait.
Annuerit Phœbus: reliqui, ſocia agmina, Vates
Annuerint, nullo non tribuente locum.
Nec, puto, materies noſtræ ſubjecta camenæ
Diſplicet: apta lyræ non magis ulla tuæ eſt.
Nil, niſi quod ſacrum eſt, canimus. MICHAELIS honori
Barbita noſtra [viden?] Pimplaque tota vacat.
Et merito: pietas, animus, facundia, mores,
Omnia ſunt illi ſumma, probantque Virum.
Dixerat: obticui; metuens, ne laudibus impar
Detererem parvo grandia facta ſono.
At facilis, vultu quo conſpicit omnia, Phœbus
Me ſpeculans, choreas hic quoque, dixit, agat.
Nec reor indecorem numero fore: ſcimus, ut olim
Pars fuerit noſtri quantulacumque chori.

Gra-

Gratia, Phœbe, tibi. Sed ni tua juſſa moverent,
Poſſet materies ipſa movere ſatis.
Dignus apollinea Vatum plaudente corona,
Pierio MICHAEL dignus honore coli.
Ille hominum ſtuduit rapere ad cæleſtia mentes;
Qua licet ergo homines hunc ſuper aſtra ferant.
Moribus æternam docuit qui condere vitam,
Hunc fas æternum vivere carminibus.
Quamquam ego ſum minor ad tantæ præconia laudis,
At ſegnem me non arguet ulla dies.
Nil eget adſcitâ virtus, quæ maxima, laude:
Ceu Sol quæſitæ nil ope lucis eget.

IN OBITU LEOPOLDI INFANTIS AUSTRIACI.

E L E G I A LI.

CRedimus? an vano ludens rumore per auras
Nuntia mentito funere fama venit?
Credimus: ah nimium veros prænuntia luctus
Narrat, & invitos credere fama jubet.
Ergo age, ſi qua animum pietas, ſi pectora tangit,
Præcipe lugubres mœſta Thalia ſonos.
Nam cui tu citharæ numeros, cui plectra reſervas?
Dignior eſt gemitu nulla querela tuo.
Auſtriaden flemus: juſto quis frena dolori
Injiciat, lacrymas increpitetque meas?
Ah pudor eſt, ingens adſit cum cauſſa dolendi,
Ingratum lacrymis impoſuiſſe modum.
Ergo erat in fatis, primævo flore juventæ
Auſtriaden primos claudere morte dies?
Siccine florentes dextra ſcidit Atropos annos,
Ruſticus ut teneram ſubſecat ungue roſam?
Siccine cui plauſus victori fama parabat,
Præparat extincto mors inopina rogum?
Scilicet hæ laudes, expectatique triumphi?
Cogitur ante ſuam procubuiſſe diem.

Illius ad tumulum paſſis Aſtræa capillis,
  Relligio, & nullo tempore læſa Fides,
Multa dolent, mœſtæque ſedent, & fata queruntur
  Tot bona, tam ſæva ſurripuiſſe manu.
Auſtria præcipue cœtu ſtipante ſororum
  Dum ſedet, infelix! vulnera corde premit;
Auſtriadenque vocat, miſcens ſuſpiria verbis:
  Infans Auſtriacæ gloria Gentis ubi es?
Siccine inoffenſo ſpatium pede tangere vitæ
  Non datur, & fato candidiore frui?
Hæccine debuerant devolvi tempora, poſſem
  Cladibus ut quondam clarior eſſe meis?
Auſtriaci lumen dudum, & laus maxima regni,
  Auſtriacæ Gentis gloria, Nate jaces.
Sed neque jam lumen, nec jam laus maxima regni,
  Heu brevis Auſtriacæ gloria Gentis ubi es?
Una domus viſa eſt omnes modo carpere palmas;
  Suſtinet en luctus vix domus una ſuos.
Sic nitet heu! quodcunque nitet: decus omne caducum eſt;
  O vitæ infidum credere blanditiis!

FINIS LIBRI PRIMI.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI
533249

LIBER

1409959



LIBER II.

ELEGIAE SACRAE

SACRAE POESEOS AMOR.

ELEGIA I.

Pierios alius plectro ſibi quærat amores ,
Et petat Aonio laurea ſerta jugo ;
Quem calor aſſiduus Phœbeam raptet in aulam ,
Gurgite cui facili Caſtalis unda fluat .
Olli Pieridum aſſurgat chorus omnis, & omnes
Vocali plaudant ex Helicone Deæ .
Illius ad numeros ſubſultent culmina Pindi ,
Diſcat & argutos reddere Pimpla modos .
Me meus hinc alio, melior qua Pindus, & unda
Nobiliore fluit gurgite, raptat amor .
Ille Palæſtinis vatem jam ſiſtit in oris ,
Qua Solyme auguſtum tollit ad aſtra caput.
Hic mihi feraleſque locos , ſacrumque ſepulcrum,
Et memorat Domini fata cruenta mei.
Monte, viden? [montemqne manu deſignat] in illo
Numen, ait, pro te triſte pependit onus.

Si

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Si quis io ſupereſt crudeli e funere ſenſus,
Si memori pietas clauditur ulla ſinu;
Huc citharas, huc flecte lyras: Elegeia mœſtis
Apta modis, nullo eſt aptior illa loco.
Nec Pimplæ, Aonii nec ſit tibi cura furoris;
Scilicet inſanis cura ſit iſta viris.
Pimpla erit effoſſum Domini latus: ingeret œſtrum
Atque amor, atque acri mixtus amore dolor.
Quod ſi Pierio crines de more, canentem
[Nec renuo] ſertis implicuiſſe juvat;
Nectet Idumæas victrix tibi palma coronas,
Munera Gethſemani florea nectet ager.
Sunt gemini colles hinc, atque hinc, aſpice, lætis
Frondibus; hic olea nobilis, ille cedro.
Ah mihi ne memora lætas, decora inclyta, palmas;
Non facit ad mœſtas palma, decuſque comas.
Serta meos igitur componant florea crines,
Dura premant Domini ſpinea ſerta caput?
Ipſe geram pompas, duras gerat ille catenas?
Ipſe inhiem lætis plauſibus, ille Cruci?
Ah potius ſqualore animum teſtatus amantem
Aptem flebilibus triſtia verba modis!
Ah potius, pro me quos pertulit ille dolores,
Si minus ipſe feram corpore, mente feram!

AD

AD ARTIFICEM, UT PENDENTIS E CRUCE DOMINI IMAGINEM EFFINGAT.

ELEGIA II.

HUc ades o, vivos qui duro e marmore vultus
Fingis, & artifici mollius æra manu;
Huc ades, & ſacro pendens e ſtipite Numen
Finge; ſed haud ſolitis forma ſit illa notis.
Telorum referant ſpeciem, qui tempora vepres
Dilacerant, ſacrum perfodiuntque caput.
Quique pedes, geminaſque manus per vulnera clavi
Effodiunt, torti fulminis inſtar erunt.
Quaque latus duri patefecit militis haſta,
Vindice candeſcens æſtuet igne ſinus.
Nec pietas facili ſedeat, neque gratia vultu,
Nec ſolitus dio e pectore ſpiret amor.
Hoc habet: hæc placeat Domini morientis imago,
Quæ ſontes vultu terreat una ſuo.
Hoc mea ſublatum geſtabit dextera ſignum;
Hoc ego mortales increpuiſſe velim.
Dum lacerum aſpicient crudeli funere corpus,
Quis fuerit Domini forte ſubibit amor.
Spicula dum, ſævaſque faces, certaſque ſagittas;
Quæ maneat, diſcent, vindicis ira reos.
Occurrent oculis duræ veſtigia cædis;
Perfida ſollicitus conteget ora rubor.
Occurrent animo venturi ſigna furoris;
Tanget & admiſſi conſcia corda metus.
Nempe furens culpâ Dominum qui ſprevit amantem,
Iratum merito ſentiet ille Deum.
Ipſe etiam ſacro increpitem ſuccenſus ab æſtu,
Quotquot juratam deſeruere fidem,
Aſpicis effoſſum (perfodit lancea) pectus?
Mixtus aqua pro te fluxerat inde cruor.
Tempus erit, cum tu ſævas erumpere flammas,
Telaque conſpicies in caput inde tuum.

Nam neque tum pietas, nec amor tum ſuſcitet ignem,
  Juſta ſed ultrices ventilet aura faces.
Pro te juſſit amor tam ſævæ occumbere morti;
  In te convertet tela, necemque furor.

VATES AD MELIOREM FRUGEM SE REFERRE PARAT.

ELEGIA III.

JAm tempus meliore dies traducere cultu,
  Jam mihi libertas illa vetuſta vale.
Jam me cæleſti per amica ſilentia nutu
  Ad ſacra virtutis limina raptat amor.
Raptet io; mora nulla, ſequar: nec gratior ulla eſt
  Sors mihi, quam Cæli dulcia jura ſequi.
Sed tamen heu! variis hæret mens anxia curis,
  Jamque lubet dextram tendere, jamque piget.
Sæpe animum falſo pertentant gaudia vultu,
  Vitaque blanditiis inſidioſa ſuis;
Sæpe joci, quondam vanæ ſolatia mentis,
  Nunc pudor: & nimium, quod placuere, dolet.
Quis timor, incertum eſt, agitat timor: ille volentem
  Neſcio qua ſenſim retrahit uſque mora.
Et cupio, & nequeo; lentoque iraſcor amori,
  Qui dubio toties itque, reditque gradu.
Jam geminus videor mihimet, cum ſim tamen idem;
  Et fugio illecebras alter, & alter amo.
Ipſe velim; aſt animus [nam vis trahit improba victum]
  Se negat aſſuetas linquere poſſe vias.
Sed volo: jam poſſum, vires fert ipſa voluntas:
  Hoc ſatis eſt; optat qui potuiſſe, velit.
Eſte procul plauſuſque leves, choreæque, jocique,
  Tuque o deliciis terra timenda tuis.
Et cari quondam vos, blandula damna, Sodales,
  Heu nimium noſtro cognita damna malo!
Jam neque mortales curæ mihi, jam neque luxus
  Gaudia, nec tellus jam facit ipſa moram.

Quis

Quis furor, e ſterili fructus expoſcere arena,
Quærere & e ſicco pellere fonte ſitim?
Verte ratem, quicumque Noto das vela ferenti;
Infido nimium creditur illa mari.
Ah miſeri, quos hæc graviter ſors urget! At ille
Felix, cui Cæli e ſedibus afflat amor.
O Amor, o arces, patriæ o tecta alta Sionis,
O toties votis tecta petita meis!
En erit illa dies, qua terris veſtra relictis
Atria jam voti compos adire queam?
O ego cum Dominum aſpiciam, quam dulciter illic
Luſtrabo vultu liberiore Polum!
Illic æquævamque paterno e Germine Prolem
Cernere, & æterno e Lumine Lumen, erit;
Utque duos nectens æterno fœdere, utroque
Ipſe etiam æternus pectore ſpiret Amor.
Cernam etiam triplici complecti Numine Numen,
Et pariter ternos eſſe, neque eſſe Deos.
Hoc precor, hæc miſeram excipiat lux candida vitam:
Hæc mihi contingant ſi modo fata, ſat eſt.

IN VANAM CADUCARUM RERUM SPECIEM.

E L E G I A IV.

DElicias alius fallaci quærat ab Orbe,
Et cupiat vani ludicra dona ſoli.
Me meus ardor agit Cæli trans ſidera: Numen,
Numen io! noſtri fautor amoris erit.
Quid mihi deliciæ proſint? quid turpia vulgi
Gaudia? quid falſæ, quas habet orbis, opes?
Fulguris in morem deludunt iſta, fugaci
Impete dum pariter noſtraque, noſque ruunt.
Si qua etiam interea lux eſt, quæ fallit in illis,
Hei mihi nec longam lux habet illa moram!
Sic roſa, quæ primo Solis præfulget in ortu,
Mox tamen amiſsâ ſqualet aduſta comâ.

Infelix, qui cæca ſequi veſtigia paſſim
Gaudet, & incertas ire redire vias.
Una mihi eſt, Domino ſemper placuiſſe, voluptas;
Sola mihi hæc fuerint gaudia, ſolus amor.
Virgo fave: tibi ſe ſpondet mea vita, tuoque
Vivere amore, tuo gaudet amore mori.

AD B. VIRGINEM DE JESU RECENS NATO.

ELEGIA V.

QUid tibi cordis erat, cum te Cæleſtis adiret
Nuntius, attonitæ quid tibi mentis erat?
Hoc fuit, hoc olim divino pectore Vates,
Quod dedit hæc certo verba notanda ſono:
Æthereum gremio tulerit cum Virgo Tonantem,
Inſuetum triplici Sol vehet axe diem.
Junge coronatos terno Sol lumine currus,
Parthenidem cernis progenuiſſe Deum.
O felix alias inter Jeſſeia Virgo,
Diva Deo frueris [jam finit ipſe] tuo.
Te vilis prope Bethleam ſpecus excipit Urbem,
Vilis, at enixo facta ſuperba Deo.
Evenere: Polo ſuperum Rex lapſus ab alto,
Clarat io noſtrum noſter & ipſe genus!
Quem modo ſpargentem timuerunt æthere nimbos
Iſacidum Reges, Iſacidæque duces;
Viſaque terrifico ruere ignea tela boatu,
Dum premit aereas igneus ipſe rotas;
Jam nova nunc jactat roſeis incendia labris,
Jactat odoratas, lilia blanda, nives.
Ut rutilant vultu, medio ceu ſidera Olympo,
Lumina lacrymulis ſplendidiora ſuis!
Quales populei flent ſciſſo cortice rami,
Et lacrymæ pretium ſuccina gemma fluit.
Aut qualis ſtillat ridenti floſculus ore,
Et gutta feritur lætior ipſe ſua.

Edidi.

Edidicere ſuos hinc orbis lumina cultus,
 Et Charites luſus edidicere ſuos.
Hinc puto dius Amor didicit, ſua ſpicula, riſus;
 Hoc puto cæleſtes imbuit igne faces.
Felices nimium paleæ, felicia ſaxa,
 Tot bona queis licuit claudere poſſe ſinu.
Blande Puer, quanam video te creſcere in aula,
 Aut quibus in fulcris depoſuiſſe caput?
Mira fides! Cæli quem vix capit auſa Tonantem,
 Clauderis en parvo parvus & ipſe ſinu.
Propter me nullos renuis, mea Vita, dolores;
 Non ego te propter quidlibet uſque feram?
Quique alios urit patriis amor ignibus, alget;
 Alget io! cohibe ſæva procella minas.
Hei mihi! nam teneros Boreas male concutit artus;
 Nec verita eſt puerum lædere bruma Deum.
Læde meum potius Borea caput, & pete nimbis
 Pectus, & inſano concute membra gelu.
Ah quoties tacito dum circum murmure ludunt,
 Vagitus furtim ſurripuere Noti!
Ah quoties dum forte genis lacryma excidit, illam
 Fovit io tellus ambitioſa ſinu!
O utinam poſſem ventos imitatus, & auras
 Sacra coloratis tangere labra roſis!
Mille darem amplexus placido furtivus Amori,
 Et legerem niveis oſcula mille genis.
At ſaltem hæc celeres rapite o ſuſpiria venti,
 Et ſonus invadat mixtus uterque Polum.
O liceat ſacris caput hoc ſubmittere plantis,
 Et tenerum his humeris ſuſtinuiſſe latus!
Qui luctus tandem, precor o, ſoleris amaros,
 Accipiendo ſinu, blande Puelle, veni.

IN NATALI DOMINI.

ELEGIA VI.

BLanda comas, blandoque olim lætiſſima cultu,
  Et nitido paſſim conſpicienda ſinu,
Flebilis huc accede, meos Elegia dolores
  Teſtata, & tepidas, quas dolor urget, aquas.
Feſtivas quamquam referunt ſollemnia pompas
  Sacra, ſuo plaudunt quæ bene fauſta Deo;
At non illa meum poſſint lenire dolorem,
  Qui mea perpetuis morſibus oſſa terit.
Tu Puer o, luctus, tu triſtes pectoris æſtus
  Adjicis, & lacrymis imbuis uſque genas.
Nam te dum tenera conſtratum leniter herba
  Aſpicio, & placido procubuiſſe ſolo;
Triſtia tum mihi ſe fati portenta futuri
  Oſtendunt, duræ certaque ſigna necis.
Seu terram aſpicio, terra eſt mihi cauſſa doloris:
  Seu paleas, paleæ cauſſa doloris erunt.
En, inquam, Deus ille, orbem qui condidit, ah quæ
  Criminibus patitur debita damna meis!
Quæ modo naſcentem complexa eſt, ſanguine tandem
  Illius hæc eadem ſparſa rubebit humus.
Hei mihi quod caræ mulcet nunc dextra Parentis,
  Torquebunt ſacrum ſpinea ſerta caput!
Nunc Genitrix niveos ulnis complectitur artus,
  Colligat & teneras faſcia parva manus:
Poſtmodo crudeli religabunt vincula nodo:
  Heu tantum poterunt ſuſtinuiſſe nefas!
Membra petet, repetetque feris gens impia flagris:
  Teſtis erit verbi dura columna mei.
Vagiat ille, ſuos præſentit corde dolores,
  Inferet immiti quos fera turba manu.
Dum premit & paleas, & duram corpore terram,
  Præparat impoſitâ membra gravanda Cruce.

Somnus

Somnus adeſt , placidoque obnubit corpus amictu :
  Num tamen eſt ſomni munere parta quies?
Tum ſubit extremi ſpecies mœſtiſſima fati ;
  Tum ſubeunt mixtim lancea, vincla, cruces.
Hei mihi ! quis cogit venturam arceſſere mortem,
  Quis fati lentas increpuiſſe moras ?
Mille Cruces fert ante Crucem mens ſaucia curis;
  Funera mille ſuam ſuſtinet ante necem.

Non erat eis locus in Diverſorio.Lucæ II.

E L E G I A VII.

Mirer ? an indigner ? Sunt quos decorata ſuperbis
  Poſtibus , atque auro ſplendida tecta tenent .
At ſuperûm Rector Cælo demiſſus ab alto
  Exiguum tota non habet urbe locum .
Dumque alii latos implent hic molibus agros
  Undique , vix terræ pars vacat ulla Deo.
Quis ferat hæc ? juſtas quis non exerceat iras?
  Atque homines pleno non agat ore reos?
Heu genus ingratum ! tibi enim , tibi naſcitur Infans,
  Qui , tibi quo proſit, ſuſtinet eſſe tuus.
Si te nullus amor, pietas ſi nulla moveret,
  Debuerat certe corda movere pudor.
Celſa tibi ſurgunt regali ſplendida luxu
  Atria, divitiis heu male culta ſuis ;
Interea Dominus vili projectus in antro
  Cogitur hibernas ſuſtinuiſſe nives.
Conciliant placidum tibi ſtragula picta ſoporem,
  Illecebriſque quies eſt pretioſa ſuis;
Dura corpus humo , ſaxiſque reponeret Infans,
  Ni daret agreſtem mollior herba torum.
Ne te triſtis hiems , Boreæ ne frigora lædant,
  Eſt qui te poſito recreet igne focus:
Sunt auroque graves , & tinctæ murice veſtes,
  Dædala quas phrygiâ dextera pinxit acu;

Aſt inopes panni Domino ſunt ampla ſupellex,
Lectaque de media ſtramina pauca via.
Aſpice quo frigus pellat, bos cernuus olli,
Afflatuque ſuo præſtat aſellus opem.
Siccine, cum noſtros miſerans Deus induit artus,
Proh pudor! in terris excipiendus erat?
Hi deceant igitur cultus, hæc aula Tonantem?
His colit officiis hoſpita terra Deum?

IN SCELESTUM DE JESU RECENS NATO.

ELEGIA VIII.

HIc amor eſt igitur, tanto quem reddis Amori!
Sic placet officii nempe referre vicem?
At cur, ſi fueras Dominum læſurus amantem,
Promiſſa infidus mox violanda dabas?
Dicebas, memini, nullo te tempore velle
Juratam toties deſeruiſſe fidem:
Non ſi mille ſinum tentarent gaudia, non ſi
Inſtarent capiti fulmina mille tuo.
Hæc tu dicebas: nunc te tam magna locutum,
Non pudet heu pactam deſeruiſſe fidem?
Tu-ne alio infelix te vertere? tu-ne caducum
Neſcio quid Domino præpoſuiſſe potes?
Vilis habet tellus, tua quo rapiantur amore
Pectora; nil Puer hic, quo rapiaris, habet?
Si modo reſpicias, quantum eſt quod poſcimus, ultro
Quam duri, dices, pectoris ante fui!
Demens, qui Dominum ſprevi male gratus amantem!
Unde mihi, qui me ſic amet, alter erit?
Cernis, ut humanos lateat contracta per artus
Majeſtas, puero diſſimulante Deum?
Non flammæ, non ore minæ, velut ante ſolebant,
Exiſtunt; nullum dextera fulmen habet;
Sed decor, & placido quæ ridet plurima vultu
Gratia, ſed geminæ, ſidera noſtra, faces.

Sic

Sic voluit naſci, voluit qui parvus amari,
  Duraque blanditiis vincere corda ſuis.
Atque utinam vincat! nobis victoria certe
  Proderit, & pretium nobile Victor erit.
Ille poteſt viſus rabidas mulcere leænas,
  Demere ſævitiem tigribus ille poteſt.
Flectere te nequeat? nequeat mollire rigorem
  Pectoris? o duris durior uſque feris!
Quam placidus, mitiſque jacet! ridentis in ore,
  Ut velit iraſci, non habet ira locum.
Quodcunque aſpicias, oculos, frontemque, genaſque,
  Omnia Divini pignus amoris habent.
Perfertur quicunque tuas vagitus ad aures,
  Hic tibi, ſi ſentis perfide, dicit, AMA.
Dilexit prior ipſe nihil te tale merentem,
  Obſequii ſaltem jura repende tui.
Te propter duraſque hiemes, & ſuſtinet imbres,
  Suſtinet in nuda ponere corpus humo:
Nec queritur teneros artus quod frigus adurat,
  Quod nive, quod ventis aſpera currat hiems;
Sed tua ſævitie quod vincant pectora Cauros,
  Et gelidæ rigido ſtent tibi corde nives;
Hoc dolet, hoc queritur, pœna ſuſpirat in illa;
  Hoc modo ſi tollas, cetera ferre leve eſt.

ADO-

ADOLESCENTI E SOCIETATE JESU SALUTEM.

Quod Divum Antonium Patavinum præcipuo cultu proſequeris, valde te commendo: quod vero ea gratia petis, ut carminis aliquid ad te ſcribam in ejus laudem, vereor ut queam opportune ſatisfaeere. Noſti quam indigens otii ſim, quam abundans curis, quæ identidem interpellant, mentemque alio avertunt. Conabor tamen aliquid, ne tibi deſim; tale tamen erit, quod pietati tuæ magis fovendæ datum, quam eruditioni alendæ videatur. Quoniam vero Eſurientibus (*ut docemur* Eccli. 27.) omnis panis dulcis eſt, *æqui boni facies quidquid ſcripſero: hæc igitur habeto*:

DIES MARTIS D. ANTONIO DICANDA.

ELEGIA IX.

Cede loco, Gradive; tibi nil tale merenti
  Ergo ſuperſtitio ſacret inepta diem?
Cede loco: melius Patavini gloria Divi
  Hunc ſibi devotum ſacrat, habetque diem.
Quid tibi mortales miſeri, niſi funera debent,
  Factaque per ſævas mutua damna manus?
Tu lites, tu bella moves, iraſque, minaſque,
  Tu placidos orbi non ſinis ire dies.
Contra muneribus terras Antonius implet;
  Fuſaque non ullis irrita vota cadunt.
Nullus in immenſo locus eſt tam diſſitus orbe,
  Illius qui non experiatur opem.
Non, ſi par agitat Superis Antonius ævum,
  Sub pedibuſque, Deo proximus, aſtra videt;
Immemor eſt terræ, nec jam mortalia curat,
  Quamque loco procul eſt, tam quoque mente procul.
Aſpice, quot ſacro pendent e pariete ſigna;
  Signa Patrocinium non tacitura ſuum.

Ergo

Ergo age, quæ Martis lux eſt de nomine dicta,
  Scilicet indigna dedecorata nota,
Eſſe ſuam vult hanc Antonius, & ſibi ſacram,
  Ut ritum veteres inſtituiſtis Avi.
Hanc tu præcipuo ſemper venerabere cultu;
  Quolibet obſequii munere gratus eris.
Non ego te, validæ ni ſint in corpore vires,
  Jejunum menſis abſtinuiſſe velim:
Non Cilicum te ſetoſa circumdare veſte,
  Mollia nec duro ſternere membra ſolo.
Hæc dare ſi nequeas [non omnes omnia poſſunt];
  Multa, quibus Divum demerearis, erunt.

EJUSDEM DIVI LAUDATIO.

E L E G I A X.

ANtoni quicumque tuæ miracula dextræ,
  Quæque orbi confers munera, noſſe velit;
Idem ſcire velit, quot Cælum torqueat aſtra,
  Et quota ſit pratis herba, vel unda mari.
Hoc ſatis eſt dixiſſe: tibi Natura jubenti
  Submittit leges officioſa ſuas.
Si quando mediis in fluctibus auſter ab alto
  Infremit, & toto ſæva procella mari;
Juſſeris, actutum parens iraſque minaſque
  Molliter unda ſuas ponit, & aura ſuas.
Si quis opes dolet amiſſas, tibi ſupplicet: illi
  Protinus amiſſæ reſtituentur opes.
Ignibus hic rabidis, tumidis hic liber ab undis
  Vota ſoluturus jam tua templa petit.
Quam multi ſummo poſiti in diſcrimine leti,
  Emerſere tua protinus inde manu!
Quam multi, miſerum! obſcura jam morte perempti,
  Hauſerunt iterum, te revocante, diem!
Non ignota ullis tua ſunt miracula terris,
  Implerunt fama ſolis utramque domum.

Teſtis

Teſtis erit ſuſpenſa tuis quæ plurima templis
  Edocet auditas picta tabella preces.
Ergo ades, & noſtris etiam bonus annue votis:
  Accedam titulis pars ego parva tuis.

DIVI IGNATII VOX,

QUAM SORDET TELLUS, DUM CAELUM ASPICIO!

ELEGIA XI.

AEtherei tractus, & amati ſidera Cæli,
  Et formoſa oculis tecta ſuperna meis,
Vos ego ſuſpicio miſeræ ſolatia mentis,
  Nam quæ non poſſum corpore, mente peto.
Non illam aut venti, aut poſſunt tardare procellæ;
  Ad ſuperos certas invenit illa vias.
AEterniſque ſubit fulgentia limina flammis,
  Limina mortali non adeunda pede.
Inde per immenſos ſpatiatur libera campos,
  Et fruitur patrio, qua licet arte, Polo.
Hic mihi promiſſamque domum, ſedeſque beatas
  Oſtendit, Domini ſplendida Regna mei.
Atque ait: Aula tibi patrios hæc ſervat Amores:
  Aſpicis? illa tuum ſidera Numen habent.
Hæc ego dum ſpecto, dum me plaga lucida Cæli
  Detinet, & puro lumine corda beat;
Quæ vaſto tellus procul hinc diſcedit hiatu,
  Vilior eſt oculis, quam fuit ante, meis. &c.

ADO-

ADOLESCENTI E SOC. JESU SALUTEM.

Petis a me, ut hymnos in Ἀκολουθίᾳ *Beatæ Virginis ad Matutinas preces, ac Laudes recitari ſolitos, ad te mittam; idque cum primum: ais enim, illos uſui tibi futuros hac ipſa hebdomada; neque te rebus aliis occupatum, huic rei operam impendere poſſe: quaſi vero me offenderis hominem aut levioribus, aut paucioribus diſtentum curis. Verum, ut intelligas, me tua cauſſa nihil non velle, ecce tibi quod poſtulas, quamquam opere ſubitario, effectum tamen eodem, quo tuas litteras accepi, die: evenit enim commodum, ut horas aliquot haberem vacuas, ac mei juris. Reſtat, ut valeas, & quoniam me jam exoraſti, ut viciſſim Beatiſſimam Virginem pro me ores.*

PARAPHRASIS HYMNI AD MATUTINAS PRECES.

E L E G I A XIII.

I.

QUEM TERRA, PONTUS &c.

QUi mare, qui certo moderatur numine terras,
Qui regit imperiis aſtra, Polumque ſuis;
Quem colit Auctorem triplex hæc machina mundi,
Laudat & artifices officioſa manus,
Scilicet hunc potuit Virgo deducere Cælo,
Virgineo potuit continuiſſe ſinu.

II.

CUI LUNA, SOL, ET OMNIA &c.

Cui ſemper nitido famulatur Cynthius aſtro,
Lunaque, quæ certas itque reditque vias;

Illum

Illum Jeſſææ geſtant anguſta Puellæ
Viſcera, concepto facta beata Deo.

III.

BEATA MATER MUNERE, &c.

O felix una ante alias Jeſſeia Virgo,
Integra cæleſti munere facta Parens.
Te Matrem vocat ille ſuam, mirantibus aſtris,
Quem rerum agnoſcit cetera turba Patrem.

IV.

BEATA CAELI NUNTIO, &c.

Nuntius e Cælo veniens te, Diva, Parentem
Dixerat, intacta Virginitate, fore.
Obſequeris: Deus ecce, Deus tibi mentem, animumque
Occupat, & plenum Numine pectus habes.
Optatamque diu Prolem, votiſque petitam,
Maturo felix tempore Virgo paris.

V.

JESU TIBI SIT GLORIA, &c.

Numinis hæc virtus, & gloria Numinis hæc eſt:
Omnis in Auctorem rite recurrat honos.

PARA-

PARAPHRASIS HYMNI AD LAUDES.

E L E G I A XIII.

I.

O GLORIOSA VIRGINUM &c.

O Quæ Virgineos inter clariſſima cætus,
 Sublimi, Nato proxima, ſede ſedes,
Qualem te memorem Cæli ſolia alta tenentem,
 Cum videam ſceptro cuncta ſubeſſe tuo?
Conditor ipſe etiam, tibi qui dat munera vitæ,
 Parvulus hic a te munera lactis habet.

II.

QUOD EVA TRISTIS ABSTULIT &c.

Si ſceleris, pœnæque Parens fecunda Nepotes
 Perdidit, æthereas impediitque vias;
Numine tu genito felix Regina, Nepotes
 Afferis, amiſſo reſtituiſque Polo.
Pectora deterſo gaudent mortalia fletu,
 Per te cæleſtes nam patuere fores.

III.

TU REGIS ALTI JANUA &c.

Aſtra patent per te, patet alti janua Regis,
 Aulaque, Divinum qua nitet uſque Jubar.
Quam diſpar gemina venit de Virgine fatum!
 Hæc vitam nobis attulit, illa necem.
Vos, quibus eſt jam parta ſalus, Matrique, Deoque
 Plaudite: conveniens plauſus utrumque decet.

IV.

IV.

JESU TIBI SIT &c.

At te, Nate Deo, mortali Nate Parente,
Gens tua perpetuæ laudis honore colat.
Æquævumque Patrem, ſimilemque ambobus Amorem
Tres uno colat in Numine laude pari.

PSALMI X. PARAPHRASIS.

ELEGIA XIII.

I.

In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ; tranſmigra in montem ſicut Paſſer?

QUis me, ſi Numen noſtræ ſpes unica vitæ eſt,
Quis monet, hinc alio, quæ mora? carpe viam?
Carpe viam, notiſque abſcedens finibus ultro,
I pete ſolivago culmina nota gradu.
Qualis ubi accipitrem fugit, aut perterritus arvis
Sola pererratis in loca paſſer abit.

II.

Quoniam ecce Peccatores intenderunt arcum, poſuerunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.

Impia gens quando, pharetraque, arcuque paratis,
Ilicet arma movens inſidioſa furit.
Nec mora, quin celeres ferro ſtridente ſagittæ
Per tenebras juſto vulnera cæca ferant.

III.

Quoniam, quæ perfeciſti deſtruxerunt: Juſtus autem quid fecit?

Scilicet æternas, rerum fundamina, leges
Evertere; ſolo jura refixa jacent.
At quem conſiliis numquam temerare profanis,
Nec potuit ſtultis improba turba minis,
Huncne etiam rabidos æquum eſt ſentire furores?
Huncne etiam hoſtili damna tuliſſe manu?

IV.

Dominus in Templo ſancto ſuo; Dominus in Cælo ſedes ejus.

Macte [Dei nam cura ſumus] quicunque periclis
In mediis cupido pectore quæris opem.
Ille quidem ſolio terras procul arduus omnes
Deſpicit; & Cæli e ſedibus iſta videt.

V.

Oculi ejus in Pauperem reſpiciunt; & palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Pauperis in timidos figit ſua lumina vultus,
Pauperis & vanas non ſinit ire preces.

VI.

Dominus interrogat Juſtum, & Impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Et palea, & fulvum flammis comburitur aurum;
Sed flammis nitet hoc purius, illa perit.
Sic premit inſontem, premit & ſors una nocentes;
His tamen exitio eſt, pulchrior ille redit.

VII.

Pluet ſuper Peccatores laqueos ; ignis , & ſulphur , & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Qualis io ! ſed qualis erit, cum fulmina vindex
Torquebit, terras concutietque Deus !
Jam nunc de Cælo videor flammaſque , procellaſque
Aſpicere, & mixtis ſulphura viva rogis.
Ah miſeri, quibus hæc graviter ſors imminet; iſthæc
Pocula dat veſtræ Numinis ira ſiti.

VIII.

Quoniam juſtus Dominus , & juſtitias dilexit ; æquitatem vidit vultus ejus.

AEqua jubet , probat æqua Deus : procul eſte profani:
Dexter adeſt juſtis juſtus & ipſe viris.

PSALMI LXXV PARAPHRASIS.

ELEGIA XIV.

I.

Notus in Judæa Deus: in Iſrael magnum Nomen ejus.

NOtus in Iſacidum terra Deus : Illius ingens
Numen io! Solymi, templaque ſacra colunt !

II.

Et factus eſt in pace locus ejus , & habitatio ejus in Sion.

Optavitque locum , ſurgunt qua celſa Sionis
Tecta ; ubi finitimos pax beat alma lares.

III.

III.

Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.

Illic hoſtileſque arcus, volucreſque ſagittas
Fregit, & audaces in fera bella manus.

IV.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde.

Te radiante, micant æterni a culmine montes;
Perculit inſanos, te radiante, pavor.

V.

Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.

Sordida mens, aurum ſomni dum fingit imago,
Deliciis fruitur, decipiturque ſuis.
Mox ubi pulſa quies, animum ſpes, lumina ſomnus,
Divitiæ vacuas deſtituere manus.

VI.

Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt, qui aſcenderunt equos.

Te, Deus, increpitante, jacet qui fulgidus enſe
Ibat, & inſigni conſpiciendus equo.

VII.

Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc ira tua.

Hei mihi, ſi vultu tua ſæviat ira minaci!
Iratum contra quis ferat arma Deum?

VIII.

De Cælo auditum feciſti judicium : terra tremuit , & quievit.

Fallor , an intonuere poli ? vox æthera complet
Judicis : heu pallens obſtruit ora tremor !

IX.

Cum exurgeret in judicium Deus , ut ſalvos faceret omnes manſuetos terræ.

Numen adeſt vindex : Gens o mitiſſima gaude;
Tutela eſt rebus mitior ipſe tuis.

X.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.

Nempe homines animumque tibi, menteſque ſacrabunt,
Et dicent laudes ad tua feſta tuas.

XI.

Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes , qui in circuitu ejus affertis munera.

Voſque o, qui circum defertis dona, vovete;
Nec mora, tum veſtro reddite vota Deo.

XII.

Terribili & ei qui aufert ſpiritum principum , terribili apud Reges terræ.

Qui premit imperio terras, qui ſceptra coercet
Numine , qui Regum colla ſuperba domat.

PSALMI

PSALMI LXXXVI PARAPHRASIS.

E L E G I A XV.

I.

Fundamenta ejus in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.

INclyta dilectæ, Dominus quam condidit, Urbis,
Mœnia, cultori mox habitanda Deo!
Fundamenta ſacros ſuperant late ardua montes;
Ortaque vix moles tollit ad aſtra caput.
Extructas, pluſquam Jacob tentoria, portas
Ille quidem, & notæ limina ſedis amat.

II.

Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei.

Salve Urbs o præclara; Dei ſalve aula Tonantis;
Aula o ſidereis invidioſa locis.
Te quondam ſacro cecinerunt carmine Vates;
Juvit & in laudes flectere verba tuas.

III.

Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me.

Tu quoque tu nobis Babylon memorabere quondam,
Et tu [queis hæc eſt notior aula] Rahab.

IV.

Ecce Alienigenæ, & Tyrus, & Populus AEthiopum, hi fuerunt illic.

Huc procul externi, huc Tyrii venere coloni,
Et quos AEthiopum terra peruſta tenet.

V.

Numquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus?

Nam tempus, ni fallor, erit, cum noſtra ferantur
Hoſpita mortali tecta fuiſſe Deo.
Cumque, Sion Mater, clamet Deus; ipſe ubi magno
Nexu ſe humano miſcuerit generi.
Hujus io! poſuit, dicent, Altiſſimus arces,
Celſaque non ipſo tecta minora Polo.

VI.

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & Principum, horum qui fuerunt in ea.

Nempe recognoſcent, Domino narrante, nepotes
Hæc olim faſtis condita facta ſacris,
Cum populos repetent, claroſque ex ordine Reges,
Quos fama eſt illos incoluiſſe lares

VII.

Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.

O Patria, o Arces! Dolor hinc procul omnis abeſto;
Nam loca ſollicitus non decet iſta dolor.
Non triſtes curæ, non hac ſit luctus in Urbe;
Sed jocus, & tuti cordis amica quies;
Sed blandæ Charites, ſed læto gaudia vultu,
Certaque Jeſſæo numine noſtra ſalus.

INFANS DEUS PACIS AUCTOR.

E L E G I A XVI.

PAcis amans Deus eſt; pacem mortalibus infert
  Mortali gaudens corpore factus homo.
Hoc erat, inſolito terris quod carmine læti
  Aligerum nuper concinuere chori.
Alternis illos mulcentes vocibus auras
  Paſtorum vigiles obſtupuere greges.
Hoc erat, aſſueto citius quod diſpulit umbras
  Sole nitens triplici clarior orta dies.
Quæque peregrinos lux ad Præſepia Reges
  Duxit, iter pandens per nova ſigna novum.
Scilicet his Numen ſignis mortalia ſurſum
  Erigit, & Superis fidere corda jubet.
Quin etiam tellus pacis præſagia ſenſit,
  Viſaque lætitiæ ſigna dediſſe ſuæ eſt.
Namque ſinu liquidi fontes dum fudit olivi,
  Pignora jam certæ pacis adeſſe monet.
Illa prius tantum ſuccos fundebat amaros,
  Non niſi ſilveſtres apta fovere rubos.
Unde odia, & fraudes, & amantes jurgia rixæ,
  Et quæ præterea damna dolebat humus.
Hæc fuerant olim miſeris mortalibus: at nunc
  Fructu ſigna dedit pacis oliva ſuo.
Quis mihi nunc jactet ramum frondentis olivæ,
  Quem rediens olim miſſa columba tulit?
Unde ſuperfuſas jam deſediſſe Noëmus
  Pacato terris Numine ſenſit aquas.
Quam melius, qui de Cælo nunc mittitur Agnus,
  Indicio pacem nobiliore notat.
Non oleæ frondes, vena ſed divite fructum
  Fert oleæ, placido qui beat amne ſolum.
Unde diu miſeri, poſita clementius ira
  Jam facilem nobis credimus eſſe Deum.

Cumque diu vetito rurſum commercia Cælo
 Exercere hominem ſidera poſſe docent.

NATO DEO FLORES.

ELEGIA XVII.

NOn egò, ſi nequeo gemmaſque, aurumque, recuſem,
 Parva recens nato munera ferre Deo.
Exquirant alii peregrinas undique meſſes,
 Externa vectas ad loca noſtra rate.
Seu quas occidua Perue ſubmittit ab ora,
 Seu quas Eoo dives Erythra mari.
Me juvat ex humili collectos gramine flores,
 Paucaque naſcenti tradere poma Deo.
Et Puer eſt, & amans: titulo ſperamus utroque
 Quamlibet exigua hæc munera, grata fore.
Contentus parvo Puer eſt: Nec magna requirit,
 Sed dantem potius, quam bona dantis, amat.
Ergo mihi facilis tellus, nec avara miniſtret,
 Quas dare conſuevit fertilis hortus opes.
Nec pigeat, campos medio ridere Decembri,
 Et gelidas verno vincere flore nives.
Obſequioſa Deo flores nix ipſa fovebit,
 Blandior & Majo menſe December erit.
His ego muneribus Bethleum ſedulus antrum,
 Et Domini cunas ſpargere lætus amem.
Quin etiam, ſi per Matrem ſit facta poteſtas,
 Hos Puero flores ſuppoſuiſſe velim.

DE PUERO JESU.

ELEGIA XVIII.

PArce meo Puero, ſeu quis furis Auſter ab alto,
Seu geris Eoas, Eure proterve, minas.
Hei mihi ne teneros Infantis verberet artus,
Neu lædat glacie pectora triſtis hiems!
Nunc ubi cælorum Dominus, terræque, mariſque,
Jam puer, exiguo in ſtramine membra locat;
Felices currant pacato ſidere Soles,
Blandior & placido rideat orbe dies.
Neve truces uſquam contriſtent æthera nimbi,
Neve fremant Cauri, ne volitentve Noti.
At tu tranquillo zephyritis mitior æſtu,
Temporibus brumæ ſi licet, aura veni;
Aura veni, lenique ſonans circum antra ſuſurro
Obſtrepe, dum vincit membra tenella quies.
Te ſolet ingenti laſſus Venator ab æſtu,
Dum recubat, pleno ſæpe vocare ſinu.
Te ſolet emenſa tandem regione Viator,
Atque tuam cantu poſcere feſſus opem.
Hei mihi! ſed ſurdis jacto verba irrita ventis,
Et nuſquam zephyri mollior aura venit.
Ergo agite, & placidi mea ſint ſuſpiria venti,
Hæc relevent Pueri dulcius ora Dei.

INFANTI DEO VOTA.

AD AMICUM.

ELEGIA XIX.

JAm citharam pertæſus, opes Heliconis, & undam
  Linquebam tacitus, Caſtali lympha, tuam:
Jamque vale dicto, Phœbum, Phœbique ſorores
  Quærebam poſita deſeruiſſe lyra:
Cum tua, quam dederas ad nos, huc littera greſſum
  Intulit, in ſolos auſa venire locos.
Accipio, noſcoque libens nomenque, manumque:
  (Nota manus, primo in limine nomen erat.)
Quidve ferat, quæro: num ſit latura ſalutem
  Illa mihi feſto littera fauſta die.
Neſcio quos tamen illa petit, mea munera, verſus;
  Et memorem officii me jubet eſſe mei.
Hoc, ait, expectat, cui te debere fateris
  Plurima, amicitia qui tibi junctus erat.
Quid petis? exclamo: cur me Parnaſſia rurſum
  Culmina, & Aonium cogis adire nemus?
Non hoc iſta mihi fuerat mens tempore: non hoc
  Tempore carminibus noſtra Camena favet.
Eſte procul citharæque leves, elegique jocoſi;
  Quæque ſolent animos detinuiſſe lyræ.
Antra petam, Numenque beatior: o ubi qui me
  Nunc Bethlea cito ſiſtat ad antra gradu!
Hic ego dein flexo venerabor poplite Numen
  Jam prece, jam lacrymis: gaudet utroque Deus.
Quin ſi, Dive, ulnas non dedignabere noſtras,
  Gaudebo proprio te tenuiſſe ſinu.
Et mulcere manu, & ſacris ferre oſcula plantis,
  Oſcula, quæ dius nempe docebit Amor.
Hei mihi! ne dura tenerum lædatur ariſta
  Corpus, & Arctoo candida membra gelu;

Ipſe

Ipſe meum opponam latus hoc : te, Dive, rigentem
  (Excruciet Boreas me licet) ipſe tegam .
At tu (nam verſus forſan perquiris, Amice)
  Hoc tibi pro noſtro munere carmen habe.
Quem Phœbea putas Pindi colere antra, ſodalis
  Bethlea Auguſti Numinis antra colit.

RELIGIOSA VOTORUM INSTAURATIO SOLLEMNI EPIPHANIAE DIE.

ELEGIA XX.

VOta facit vates : ſint aſtra faventia votis :
  AEſtuet & noſtro in pectore dia Charis.
Stella Ducem præbet ; ſequor o, qua ducit: euntis
  Scilicet illa animum dirigit, illa gradum.
Non ſoli Eoo venientes litore Reges
  Ad Domini ſiſtent inclyta dona pedes.
Et ſua ſunt noſtro , quæ donet, munera cordi ,
  Et cor (ſi deſint cetera) munus erit .
Paupere ſint quamvis noſtra hæc munuſcula cultu,
  Quo magis hæc cultu paupere , grata magis .
Caſta placent Puero : pura cum mente venite ;
  Debitaque inſonti reddite vota manu .
Omnia ſint venerata Deum : non audeat ullus
  Impoſitum collo depoſuiſſe jugum.
Blande Puer , quem noſter amor jubet eſſe ſub antro ,
  Quem jubet in parva deſtituiſſe caſa,
Ne ſpernas , ne vota precor , quæ rite quotannis
  Bis tua gens aras innovat ante tuas .
Da , manſura fides voti promiſſa ſequatur;
  Et nunquam noſtro e pectore læſa cadat .
Eventura precor : viden' ut fauſtiſſimus ore
  Arriſit placido, luminibuſque Puer.

TER.

TERRENARUM RERUM INANITAS.

ELEGIA XXI.

QUid juvat ornatos apte diſponere crines?
Aut poſitas nulla fundere lege comas?
Quid juvat Aſſyrio paſſim procedere cultu?
Aut bene compoſita veſte nitere ſinus?
Nudus & in ſuperas veniſti luminis oras;
Nudus & extremo, ſtulte, ferere die.
Cui tu divitias, cui ſtructa palatia ſervas?
Quem dominum poſt te ſunt habitura ſuum?
Hei mihi! quam celeri properat pede tempus, & urna!
Hei mihi! quam tacito Mors violenta gradu!
Nempe ubi te parvus flamma conſumpſerit ignis,
Et ſuperinjecto terra teget cumulo;
Tum decus, & pulchram comitata ſuperbia formam
Proderit, & multa quæ domus arte nitet.
Ah miſer! & ſi quis vanis confidere rebus
Audet, & inſtabili ponere regna ſolo.
Illum fera licet, manet heu! ſed pœna: dolentem
Tunc videas fruſtra pœnituiſſe ſui.

VATES CEPHALAEA LABORANS VIRGINIS OPE JAM INCOLUMIS VOTA SOLVIT.

ELEGIA XXII.

DIvitias alius feſtivam ſiſtat ad aram,
Vota ego; tu votis, o bona Virgo, fave.
Vota fides poſcit, tibi quam promiſimus olim,
Cum premeret longus tempora noſtra dolor.
Jam ſolvo: da plectra, tuo da nablia Vati
Cynthie, & alternis grata Thalia modis.
Ille ego, quem triſti capitis languore dolentem
Adjuvit medica Virgo vocata manu;

Ille

Ille ego, qui gratum vovi, mea munera, carmen,
Et tenues memoris, nablia, vatis opes.
Dicebam, memini: ſi noſtro Virgo dolori
Ipſa velit medicas applicuiſſe manus,
Ilicet aufugiet pulſus dolor omnis, & omnes,
Qui modo ſollicitant anxia corda, metus.
Affer opem, bona Mater; habet tua dextra ſalutem;
Si quis amor noſtri te tenet, affer opem.
Tunc ego quos cantus, voti reus! o ego quos tunc
Gaudebo faciles ingeminare modos!
Quam præſens, novi, quam ſis pia: plurima nempe
Edocet ante aras picta tabella tuas.
Non erimus, Diva, immemores; nec noſtra ſilebunt
Nablia; nec renuam ſolvere vota reus.
Adjiciam titulis; Servato, Diva, Poeta
Accipis has grato e pectore, carmen, opes.
Dum loquimur, tenues languor vaneſcit in auras,
Nec miſerum torquet, qui fuit ante, dolor.
Jam ceſſit morbi vis importuna: ſalutem
Contulit appoſita Virginis arte manus.
Plurima cumque illi pulſis ſit gloria morbis,
Adjunxit titulis me quoque Diva ſuis.
Ergo age, ſi qua fides, memori da carmina plectro
Muſa: petit carmen Virginis ara meum.
Non ego divitias quæro, quas gurgite condit
Aut Tagus, aut rubro dives Erythra ſinu.
Culta chelys ſatis eſt: ſatis eſt celebrare canendo
Munus: amat noſtræ munera Virgo chelys.
Et quamquam nihil eſt, mea quod modo verba rependunt,
Noſtraque ſunt meritis verba minora ſuis;
Eſt animus tamen in pretio, non dona voventis;
Spectaturque dato in munere ſolus Amor.

CHRI-

CHRISTI ANASTASIS.

ELEGIA XXIII.

ILla dies hæc eſt totum celebranda per orbem,
Quæ procul eſſe metus, triſtitiamque jubet.
Illa reſurgentis Domini prænuntiat horam,
Illa triumphanti facta beata Deo eſt.
Ergo alacres redeant aſſueta ad nablia verſus,
Noſtraque feſtivo carmine plectra ſonent.
Ite agite, & mœſto quæ velabantur amictu,
Templa ſuo plaudant jam bene culta Deo,
Lætitiæ ſignum populis det turris ab alto
Culmine: Myſta præit vocibus, æra ſonent.
Jam tibi rem factam demens Judæa putabas,
Impia Gens, Domino ſemper acerba tuo.
Infelix, quæ nec proprium cognoſcere Numen
Digna, nec antiquæ Religionis opus!
Quem modo juſſiſti tam ſævo occumbere leto,
Qui tibi ludibrium, qui tibi riſus erat;
Spernere quem toties auſa es crudelior; hic eſt,
Hic eſt, qui victa Morte triumphat io!
Anne vides vacuum, attonito Cuſtode, ſepulchrum?
Aſpice, nam tumuli non tegit ora lapis.
Non tegit ora lapis tumuli; ſed pectoris omnes,
(Ni credas) latebras occupat ille tui.
Hîc erat, hîc non eſt; domito ſurrexit Averno:
Signa manent, veſtes, lintea; corpus abit.
Credimus Angelicis divina oracula dictis?
Certa per Angelicos ſunt data ſigna choros.
Credimus & ſociis? res eſt certiſſima viſu
Sive tuo Simon, Magdali ſive tuo.
Scilicet hæc olim caris moriturus Amicis,
Hæc olim populo dixerat ipſe ſuo:
Solvite vos templum hoc [mortem ſpectabat, & urnam],
Splendidiuſque dies tertia cernet opus.

Tertia

Tertia lux orta eſt: viſum dedit urna cadaver:
Debuit ipſa patens urna probare Deum.

IN S. XAVERIUM.

E L E G I A XXIV.

MUſa per Auſonios aſſueta excurrere campos,
Euboicis tantum cognita Muſa plagis,
Huc ades o, tecumque una ſit Pegaſus; alas
Aptet io! celeres ad mea vota ſuas.
Oceani fines ultra, qua flumine Ganges
Auroræ campos irrigat, ire juvat.
Ire juvat; cape plectra manu, cape nablia; frontem
Exornet meritam laurus opima tuam.
Saberidæ laudes, totum quæ plauſibus Orbem
Implevere, lyras, & mea plectra vocant.
Nam quem carminibus melius celebrabimus? ille,
Ille ſibi merito nablia noſtra petit.
Dicite felices populi, felicia regna,
Litoraque a tanto facta beata viro,
Qualis erat, cum vos ſtygiis eduxit ab undis;
Cumque Polo aſſeruit, dicite, qualis erat?
Ille feros potuit pelagi contemnere fluctus;
Ille Noti rabidas non timuiſſe minas.
Quæſivit terras alio ſub Sole jacentes,
Ut diam exciperent barbara regna Fidem.
Plaude [licet tandem] felix Gangetica tellus,
Saberidæ adventu lumine adaucta novo.
Ecce tibi occiduo ſplendet Sol alter ab orbe
Clarior, advecta clarior ille Fide.
Jam poteris cunctas inter fauſtiſſima tellus
Dicier, a gemino quæ modo Sole micas.

POE-

POETA SACRIS INITIANDUS

PINDO ΠΟΛΛΑ ΧΑΙΡΕΙΝ.

ELEGIA XXV.

HActenus (& magnum eſt) Phœbi de Monte petita
Ornavit noſtras laurus opima comas.
Nec mihi Caſtalios invidit Cynthius amnes,
Et potui Vates inter habere locum.
Traximus auritas & nos ad carmina quercus,
Et didicit noſtros Pimpla referre ſonos.
Dum canerem Reges, vati plauſere canenti
Caſtalii fontes, Caſtalidumque chori.
Luſimus & Bylthrin, vanum ſine corpore nomen:
Bylthris de noſtro carmine nomen habet.
Cetera quid memorem vulgata? ſed hactenus iſta:
Hactenus: haud famæ cura ſit illa meæ.
Nam modo mutato mens eſt procedere cultu,
Et bibet ex alio gurgite noſtra ſitis.
Sacra Ceres (tali ſi fas te nomine dici)
Huc ades o, votis tu ſatis una meis.
Sola placent animo tua nunc inſignia noſtro,
Solaque de ſpicis lecta corona juvat.
Ara mihi Pindus, divini ubi Nectaris hauſtus,
Grandis ubi ætherei Numinis Aula patet.
Hic ego Cæleſtemque dapem libare Sacerdos,
Atque ipſum potero ducere ab axe Deum.
O ubi qui nobis circum de more miniſtret?
Gens ubi quæ fundat, dum litat Ara preces?
Hei mihi! ſed noſtros forſan ſpes ludit amores,
Forſan habent tacitam gaudia noſtra moram.
Qualis ubi portum jam jam prenſura carina,
Rurſus in incertas cogitur ire vias.
Nam prius optatam quam quiſque accedat ad Aram,
Omnia ſunt vitæ facta probanda ſuæ.

Quis

Quis ſcit an hæc etiam , quæ juſſi ſcribimus , obſtent
  Carmina, & officio lædar ab ipſe meo ?
Vos , quibus impoſitum eſt noſtros cognoſcere mores,
  Certaque ſecretis verba referre notis,
Parcite; neu nimium vultus adhibete ſeveros :
  Ah mites oculos hæc quoque cauſſa petit !
Si quid inexperiens animus juveniliter olim
  Geſſerit , & ſi quid non ſapienter agat,
Parcite : quæ ſecum fert immaturior ætas,
  Hæc leve , ſi ſpectes tempora , crimen habent.
Sic etiam erranti , ſtudiis levioribus acto,
  Ignoſcit juveni ſæpe parentis amor.

IN NATALI BEATAE VIRGINIS DIE.

E L E G I A XXVI.

NAtalem, Jeſſæa, tuum lux candida reddit:
  O mihi ſollemnes inter habenda dies !
Indue feſtivos meliori lumine vultus
  Phœbe : petit cultus hæc nova pompa novos.
Naſcitur æthereum Virgo paritura Tonantem,
  Atque Erebum plantis ſuppoſitura ſuis .
Hac veniente hilari ſurgit ſpes maxima Mundo ;
  Cæca ſtygis rabies , hac veniente , cadit .
Illa jubet procul eſſe minas , procul eſſe timores;
  Illa jubet noſtros lætius ire dies .
Aurea jam redeunt optato ſæcula curſu:
  Hæc iterum in terras nata Puella refert.
Aurea cum primo finxerunt ſæcula Vates,
  Florebat nullo ſemine pinguis humus.
Aſt auro meliore nitent nunc ſæcula : nulli
  Juncta viro, Floris germina Virgo dabit.
Vos o ferrati claudentes ſidera poſtes ,
  Quos firmat ſævâ Numinis ira ferâ,
Pandite Cæleſtes aditus : naſcente Maria
  Jam tutum ad Superûm limina ducit iter.

Ite animæ, vetitoque prius ſuccedite Olympo:
  Ite; dabunt facilem ſidera blanda viam.
Nempe Parens Cælum negat altera; at altera præbet:
  Hæc referat, male quas obdidit illa fores.
At tu natalis, noſtra celebrande camena,
  Splendidior ſemper ſplendidiorque redi.

JUVENES
SUB FLORUM ALLEGORIA
MAGNAE MATRI DICANTUR.
ELEGIA XXVII.

ITe polo ſacri Jeſſææ ad limina flores,
  Virgineos tenera ſpargite fronde pedes.
Cujus ab auſpicio prima ridetis in herba,
  Illius obſequio ſubdere colla decet.
Ite; neque auguſtis pigeat ſupponere plantis,
  Quas ornat nitidas plurima pompa comas.
Ipſa ſuos illic, argentea munera, crines
  Gaudet Luna, novum ſuppoſuiſſe decus.
Non alio melius flos umquam germinet uſu;
  Non alio poſſit tutior eſſe loco.
O fortunato ſurgentes germine flores,
  Quos alit afflatu Virginis aura ſuo!
Vos mites Zephyri; Cælo vos miſſus ab alto,
  Fecundus placidis educat imber aquis.
Turbet bruma licet ſævas Aquilone procellas:
  Increpiteſque tuis, Eure proterve, minis;
Exurat nimio quamquam Sol ignifer æſtu
  Graminaque, & ſicco prata ſubacta cane;
Non umquam veſter bruma increſcente nivali
  Concidet, aut ventis decutietur honor:
Non umquam nimiis areſcent ignibus horti,
  Cynthius æſtivo dum vehit axe diem.
Virgo favet, procul eſte faces, gelidique Triones:
  Quæ noceant triſtes, dum favet illa, minæ?

S. ALO-

S. ALOISII CONSAGAE

SOLLEMNIS DIES.

E L E G I A XXVIII.

MIrabar quidnam ſibi vellet Muſa, legenti
Quæ viſa ante oculos nuper adeſſe mihi eſt?
Namque ego jamdudum cithara, plectroque relictis,
Deſueram Aonio pellere fonte ſitim.
Illa quidem reſonaſque fides, digitoſque loquaces
Exercens, tales edidit ore ſonos.
Quid dudum reſidi tacuerunt nablia cantu,
Pieriæque ſonum dedidicere lyræ?
At non feſtivos indigna ſilentia ſoles
Iſta decent; noſtram (quæ mora?) ſume chelyn.
Loiſidæ magni [neſcis?] ſollemnia rurſum
Annuus en læto circulus orbe vehit.
Hæc ait: & citharam nobis dat habere canoram,
Et ciet ad faciles carmina noſtra ſonos.
Mox ubi Gonzagæ memoravi ad nablia laudes,
Vatem Muſa, lyram deſtituere modi.

IN VANA FORMAE PIGMENTA.

E L E G I A XXIX.

ITe procul pompæ, formam quæ læditis, ite:
Non ego vos, ut ſit vita pudenda, colo.
Quid juvat ornatos myrrha perfundere crines?
Quid juvat in tenui veſte nitere ſinus?
Quæ mala nativæ accedit medicina figuræ,
Crede mihi, vultus inficit illa tuos.
Heu ſuperinductos renuit natura colores,
Mentitum renuit, non ſua dona, decus!
Illa ſuo gaudet ſolum ſplendeſcere cultu,
Artificis doctas reſpuit illa manus.

 Scili-

Scilicet innato [falſas quid quærimus artes?]
  Quæ venit a cultu forma, probanda venit.
Aſpicis ut patrio paſſim roſa fulgeat oſtro;
  Utque bonis niteant lilia blanda ſuis?
Quæ tegit umbroſis arbos nemora avia ramis,
  Vernantes nulla pandit ab arte comas.
Quæque auras mulcent leni modulamine, ſolos
  Naturæ volucres edidicere ſonos.
Quam melius Domino ſemper formoſa videri
  Mens cupiet; ſoli cui placuiſſe ſat eſt.
Huic ego cæleſtes voveo bene fidus amores;
  Ah pereat, Domino, qui placuiſſe negat!

DIVAE AGNETIS TRIUMPHUS.

ELEGIA XXX.

JUnge triumphales victrix Agnæa curules,
  Ipſa tibi Cypris victa triumphus erit.
Aſpicis, ut poſitis pharetraque, arcuque Cupido
  Ingemat, extinctas abjiciatque faces?
Nempe tuo, quæ fert Agnes de nomine nomen,
  Auſpicium pariter nominis illa refert.
Spreverat auſa animo crudelis juſſa Tyranni,
  Nec ſævas timuit ſola puella minas.
Illecebris certum eſt pectus tentare pudicum;
  Ducitur ad Cyprios, improba tecta, lares.
Quid facis infelix? quo te rapit impetus iræ?
  Infeſtas remove barbara turba manus.
Quo trahitis miſera trepidantem ſorte columbam,
  Accipitris rabido quæ timet ungue rapi?
Non bene conveniet mediis in ſordibus aurum,
  Inter & immundos purior agna lupos.
Ah potius libycis illam objectate Leænis,
  Aſpera ſit quamvis mors ea, munus erit.

Quis furor, intacto damnum quæſiſſe pudori?
  Si datur hoc pretio vivere, dulce mori eſt.
Quid queror ipſe autem? victrix certaminis Agnes;
  Jam debellata de ſtyge ſerta tulit.
Illius auxilio Cæli venere cohortes:
  Qui tanto pugnat Vindice, victor erit.

AD DEUM O. M.

CLAUSULA.

E L E G I A XXXI.

O Hominum Pater, o Cæli Regnator, & Orbis;
  Conſpicuum terno Lumine Lumen idem;
A te principium noſtri, tibi deſinet, ævi,
  Tempus & auctori ſerviet omne ſuo.
Me tibi, reſque omnes ultro, vitamque reſigno;
  Tu noſtri titulum pectoris unus habe.
Me mea libertas curſu deludet inani;
  Arbitrio melius dirigar uſque tuo.
Tecum jucundæ traducam tempora vitæ:
  Vita mihi ſine te non niſi triſtis erit.
Sed me dum trado, tua reddo munera: quando'
  Quod vivo, & valeo, muneris omne tui eſt.

FINIS LIBRI SECUNDI.



L I B E R III.

ELEGIAE AD FAMILIARES.

NICOLAO CAPASSO,

Cui ſe purgat Vates, ſi minus in præſens illuſtris Viri laudationem mittat.

ELEGIA I.

ERgo meas etiam citharas, & pleƈtra requiris,
Gloria Palladii, doƈte Capaſſe, chori?
Et, mea ſi tecum Clio comes ire recuſet,
Te juga Parnaſſi ſcandere velle negas?
Humane facis, o Vatum ſtudioſe, tuiſque
Moribus ingenuis convenienter agis.
At vide, ne nimium tribuas nil tale merenti,
Affeƈtuque animi decipiare tui.
Mene tuis igitur veſtigia junƈta tenere?
Mene tuæ tenuem conſociare lyram?
O utinam! ſed nec tali me dignor honore,
Nec fas in tantum extendere vota decus.

Me

Digitized by Google

Me præſtare tuæ obſequium famulare camenæ
  Sit ſatis, & trepida ſedulitate ſequi.
Dumque cothurnato Michaelem carmine laudas,
  Inque ſuis laudes aſpicit ille tuas.
Pone ſequens, tacituſque virum mirabor utrumque,
  Et Phœbi, dicam, dignus uterque choro eſt.
Nam fruſtra ſperet numeros æquare canendo
  Conſcia non magni noſtra Thalia ſoni.
Molior interdum (ſi quicquam credis amico)
  Aut canere, Aonias aut tetigiſſe fides.
Dum tamen infelix & verba, & plectra retento,
  Verba queror numero, plectra carere ſono.
Et modo Calliopen, Phœbi modo Numina poſco,
  Viribus ut faveant illa, vel ille meis.
Sed neque Calliope, Phœbi neque Numina proſunt:
  Deſtituunt vires illa, vel ille meas.
Hoc bene, quod meritas poſſint qui texere laudes,
  Non deerunt cultis, te præeunte, modis.
Sunt centum, aut plures patrio de flumine Cycni,
  Nam centum, aut plures patrius amnis alit.
Scilicet hi, quos Muſa levat ſublimius, ingens
  Attollent cantu nobiliore decus.
Pars canet ingenium, & cultas juvenilibus annis
  Aonias, Phœbo rite juvante, Deas.
Pars generis decora, & ſociis virtutibus auctum,
  Atque animi, dicent, nobilitate genus.
Aſt alii puros niveo ſub pectore mores,
  Invida quos nequeat lædere fama, canent.
Utque illum a teneris Pietas eduxerit annis
  Una ſibi, ſtudiis imbueritque ſuis.
Hæc, & plura canent juſſu, Nicolae, tuoque
  Auſpicio, inſignes Palladis arte viri.
Nec renuent Pindum faciles conſcendere, quando
  Ipſe aderis tantæ duxque, comeſque viæ.

AD

AD LUDOVICUM SERGARDUM,

Cum nuptiale Carmen flagitaretur Vates.

E L E G I A II.

DUm me Pauſilypus, dum proxima Mergelline
Detinet illecebris officioſa ſuis,
Vicinaque ſilet jamdudum pendula lauro
Barbitos, Etruſcum reddere docta ſonum;
Ecce mihi ante oculos Erato ſtetit: inde revulſam
Obtulit, & juſſit reddere verba lyram.
Cur tacita pendent, inquit, tua barbita lauro?
Nunc opus eſt hilari perſonuiſſe chely.
Undique jam reſonat feſtos Hymenæus ad ignes,
Et plaudit totis Arbia lætus aquis.
Præparat hinc Sponſæ thalamos Alfonſus, & aurum;
Hinc ornat cupido ſe Catharina Viro.
Atque amor hinc, atque hinc placidas jactantior alas
Explicat, & blanda ridet ab arte jocos.
Nobile par Juvenum; atque æterno dignus uterque
Fœdere, conjugio dignus uterque pari;
Unde olim egregiam, magnumque in nomen ituram
Progeniem certe poſtera ſæcla ferant.
Sic Erato, myrtique, manu quam forte gerebat,
Ornavit noſtram fronde nitente chelyn.
Tunc ego: nequicquam numeros, & carmina poſcis
Muſa: dat exiguos barbitos iſta ſonos.
Si tamen apta modis, & plectra & carmina quæris,
Tibrim adeas: plectra & carmina Tibris habet.
Semper enim cantu celebres ille audit Olores,
Et Phœbo, & Muſis eſt locus ille ſacer.
Ingenio meus eſt illic Sergardus amœno,
Gurgite cui toto Caſtalis unda fluit.
Non ille ignotus Pindo, Muſiſque latinis,
Nec novus Aonias advena pulſat aquas.

Quam

Quam nitida, cultaque fluat, quam divite vena,
Dum ſpargit multo carmina docta ſale,
Non Tiberis tantum novit, non Arbia tantum:
Notus & Eois, notus & Heſperiis.
Ille poteſt feſtoſque dies, thalamoſque jugales
Aptius arguta concinuiſſe lyra.
Quod ſi majores libeat ſeponere curas,
Et dare feſtivis tempora parva jocis;
Aſpicies illi ſolito de more canenti
Plaudere Apollineos, agmina blanda, choros.
Atque ipſum interea diſcentem carmina Tibrim,
Mirantes tacito gurgite ſiſtere aquas.
Hæc ubi dicta, viam Romanas tendere ad arces,
Teque ſalutatum Muſa venire parat.
Nomine cui noſtro pariter latura ſalutem,
Traditur hæc digitis pagina ſcripta meis.

AD FLACCUM,

RELIGIOSUM ADOLESCENTEM,

Qui proſa ſcribens, verſa oratione reſponſum flagitabat.

ELEGIA III.

DUm mihi tu numeris Phœbea lege ſolutis
Scribis, amaſque gravi cum Cicerone loqui,
Nos Aganippeo cogis reſcribere verſu,
Reddereque imparibus verba ligata modis.
Et quaſi non curæque, catenatique labores
Diſtineant animum nocte, dieque meum;
Sic me deſuetas revocare ad carmina vires,
Et vates inter ludere, Flacce, jubes.
Obſequar? an renuam? pudor hoc, amor impedit illud:
Mentem agit in partes utraque cauſſa ſuas.
Ceu cum diverſi luctantur in æquore venti,
Et fremit hinc Boreas, & fremit inde Notus;
Hinc rapitur, atque hinc rapitur gemino impete puppis,
Hæret & incertis irrequieta vadis.

Vin-

Vincet amor tandem. Juſto quis certet amori?
Cedet iners animo victus amore pudor.
Cur mihi turpe putem poſcenti carmina Flacco
Mittere, & officii nempe referre vicem?
Turpe foret certe, ſi pompa carmen inani
Compoſitum, rerum pondera nulla ferat.
Ergo ne fruſtra videar luſiſſe canendo,
Auribus & tantum verba dediſſe tuis;
Accipe, quæ monet interea te noſter Apollo,
Et pluſquam Delphis carmina miſſa puta.
Vive tibi, tecumque habitans, aliena repelle
Cuncta; Deo, ſtudiis, & tibi, Flacce, vaca.
Quidquid agas, paſſim ſpectanda modeſtia vultum
Componat, mores inſtituatque tuos.
Nec linguæ ſit cura minor: dum ſancta ſilendi
Lex vetat, arcano nil juvet ore loqui.
Hæc modo pauca tibi pro tempore ſcribimus: at tu
Fac ſedeant animo tempus in omne. Vale.

ADOLESCENTI E SOC. JESU

TRIA COMMENDAT,

Crucifixi Servatoris amorem, Virgineum Roſarium, Regularum volumen: quæ Ven. Joannes Berckmans ex eadem Societate ſibi moriens depopoſcit.

E L E G I A IV.

HOc tibi cur non gratificer? quo multa rogante
Et facere, & quovis nomine velle juvat.
Sed quo me revocas? laſſum petere ardua Pindi,
Et quamvis tremula plectra ciere manu?
Turpe, ſenem juvenes inter ductare choreas:
An deceant canas florea ſerta comas?
Turpius at multo non reſpondere roganti,
Et mutam cupido diſplicuiſſe chelyn.
Accipe quidquid id eſt, quod dictat Muſa, bonique
Conſule, dum partes illa monentis agit.

Ne

Ne tamen expectes longo molimine carmen ,
  Sed breve , quod memori mente tenere licet.
Eſt tibi ſuffixum , pendenſque e ſtipite Numen,
  Effigies oculis ſæpe videnda tuis .
Hanc quoties ſpectas , memori tu corde revolvas,
  Quam multo ſteterit ſanguine noſtra ſalus .
Me miſerum , dices , cur non ſum gratus amanti?
  Cur meus in duro pectore friget amor ?
Eſt tibi , quæ multo Pæſtana roſaria præſtat,
  Virginis auguſtæ grata Corona comis.
Hæc decies quinos centenis floribus addit,
  Quos pia ſidereo ſublevat aura polo .
Dum globulos prece percurris , Matremque ſalutas,
  Noveris Angelicas nectere ſerta manus.
Eſt tibi , qui noſtras , mandata domeſtica, leges
  Continet , & quo ſit vita regenda modo ,
Parvus mole Liber , magnus virtute , ſuiſque
  Expediens monitis ad meliora viam.
Hunc oculis , hunc mente frequens luſtrare memento:
  Quid caveas illic, quidve ſequaris, habes .
Hæc tria ſi vitæque duces , comiteſque perennes
  Adſuerint , omni tempore tutus eris .
Quin etiam ſuprema tibi cum venerit hora,
  Tunc triplici palmam victor ab hoſte feres.
Exemplo Berckmannus erit, cui ſemper amanti
  Hæc tria , dulce fuit vivere , dulce mori.

AD MEGALINUM.

De Carminibus agit gratias ; ſed vices alternas rependere jam ſenior ſe poſſe negat.

ELEGIA V.

ERgo vix tenui deductum carmen avena,
  Et male tornatum pagina noſtra dedit;
Ecce mihi redeunt multo cum fenore verſus,
  Aurea quos ætas non neget eſſe ſuos.
Ergo Pierios excivit noctua Cycnos,
  Et pretium ſubitæ garrulitatis habet.
Quas ego perſolvam tanto pro munere grates?
  Quid, Megaline, tibi, quid tibi, Jane, procer?
Incolumes primum ſervet vos Numen, & omnes
  Uſque notet gemma candidiore dies.
Et quodcumque grave eſt, & quidquid triſte timetur
  Arceat, & firma vos tueatur ope.
Tum ſi fas etiam Vatum commenta priorum,
  Quæque docet ludens fabula priſca, ſequi,
Aſpiciat ſemper dextro vos lumine Phœbus,
  Et quæ Pierius Numina Pindus habet;
Pimplaque, quæ vobis tam puro gurgite manat,
  Hippocrenæas uſque miniſtret aquas;
Et ſilva ſemper viridi, ſemperque recenti
  Succreſcant veſtræ laurea ſerta comæ.
Sed tamen hoc placet? hæc veſtræ ſententia menti
  Sedit, ut alternum muſa rependat opus?
Et vellem, & fuerat, fateor ſi vera, voluptas:
  Diſpare ſed multum conditione ſumus.
Veſtra (nec invideo, lætor magis) aurea pleno
  Vena ſinu, Pimpla nec minor, uſque fluit.
Noſtra ſed heu tenui curſu, ſimiliſque moranti,
  Exiguum dubio tramite ſignat iter!

Illaque

Illaque jam periit ſcribendi carminis olim
  Copia, ſi qua fuit; ſed, puto, nulla fuit.
Nam modo mane voco ſiccus, modo veſpere muſam
  Pranſus; & alternis cura, laborque redit:
Sed neque mane favet ſicco, neque veſpere pranſo
  Muſa; ſed alternis cura, laborque perit.
Heu mea, tranſactis annis melioribus ætas
  Poſt decimam tres jam vidit Olympiadas!
Ex quo ſeptenos novies numeravimus annos,
  Annus pone ſequens unus & alter abit.

AD SATURNINUM,

CUJUS EPISTOLAM DILAUDAT.

ELEGIA VI.

VEnit ad AEglæos (*a*) tua, Saturnine, receſſus
  Littera, Pieriis tam bene culta modis.
Legimus optatam reddentia verba ſalutem,
  Vidimus officii candida ſigna tui.
Scilicet, ut juſſa eſt, mandati ſedula cuſtos
  Implevit partes cauta Thalia ſuas.
Illa quidem tacito ſeſe in penetralia paſſu
  Intulit; allatas exhibuitque notas.
Accipio, agnoſcoque libens animumque, manumque;
  Tum ſemel atque iterum carmina ſcripta lego.
Sæpe reguſtanti, ſemper placuere: nec umquam
  Lecta videbantur dulcius ulla mihi.
Quam nitidus ſermo, priſcoque ſimillimus auro!
  Quemque vetus poſſet Roma putare ſuum.
Ut fluit illimi decurrens agmine vena,
  Quæ poſſit muſam, Naſo, decere tuam!
Quantus ab ingenio nitor eſt! lux quanta refulget!
  Quantus ab officii dexteritate decor!

Hæc

(a) *AEgle, Regio Neapolitanæ Urbis, mari, & Lucullano imminens, ubi Tironum Societatis J. Domus ſita eſt, vulgo* Pizzofalcone.

Hæc ego dum miror, dum tangunt gaudia pectus,
  Quæ tamen in vultu ſigna dedere ſui;
Mirantem, & læto relegentem carmina plauſu,
  Appoſita ſic me voce Thalia rogat:
Numquid ad Auctorem me vis mandata referre?
  Quæ-tu-cumque volens juſſeris, ipſa feram;
Seu ſcripto, ſeu voce juvet reſponſa petenti
  Mittere: ſed ſcripto gratius illa dabis.
Utque magis placeant, numeris adſtringe: canenti
  Neu pigeat paucis accinuiſſe modis.
Sic ea: ſic ego, Quid veteri me includere ludo
  Quæris? habent finem plectra, lyræque ſuum.
Jamdudum Aonio ſuſpendi nablia trunco,
  Nablia vix raucum reddere docta ſonum.
Quin etiam ſi, qui fuerat juvenilibus annis,
  Nunc vigor, & blandi carminis eſſet amor;
At non auderem verſu contendere: turpe eſt
  Anſer olorinum ſi ſtrepat ante chorum.
Ergo age, Muſa refer potius tu voce ſalutem,
  Supplebis noſtras aptius ipſa vices.
Feſtaque, dic, illi me, fauſtaque cuncta precari,
  Et memorem officii tempus in omne fore.
Hæc habeo tantum, quæ dem mandata: recurre
  Protinus; efficias ſi modo juſſa, ſat eſt.

AD URSUM
UT ADVERSA FORTITER FERAT.

ELEGIA VII.

MOntibus auritas cantu deducere ſilvas,
Mulcere immites & potuiſſe feras,
Tartareos etiam blanda prece flectere Manes,
Oraque tergemini vincere ſæva Canis,
Threicii laus eſt, atque ingens gloria Vatis:
Orpheam hinc celebrant ſæcula priſca lyram.
Et quamquam obſcuro miſcetur fabula vero,
Non tamen eſt vano fabula ficta joco.
Ille feros hominum potuit compeſcere mores,
Duraque carminibus corda movere ſuis.
O utinam noſtro ſimiles in carmine vires
Eſſent, & noſtro tantus in ore ſonus!
Ipſe tui motos animi componere fluctus,
Et poſſem furias pectoris, Urſe, tui.
Et quodcumque mali eſt, & quidquid triſte perurit,
Protinus argutæ pellere ab arte lyræ.
Hei mihi ſed fruſtra conamur tanta: volentem
Deficiunt numeri, deficiuntque modi.
Ergo, meæ quidquid nequeunt præſtare Camenæ,
Hoc tua fac virtus præbeat ipſa tibi.
Perfer, & obdura: patientia nempe ferendo
Creſcit, victrici fortior uſque mora.
An tibi ferre grave eſt? Sed Cælum reſpice: quantum eſt,
Quidquid id eſt, Cæli ut forte fruare, pati?
Ah! levis eſt, quæcumque premit nos ſarcina; vires
Sufficiat nobis ſi modo Dius Amor.
Dius Amor quoſcumque jubet perferre dolores:
Iſta, ſi neſcis, itur ad aſtra via.
Quæ tua mens igitur? qua te ratione gubernas
Urſe? nihil paſſus præmia ferre voles?
Aſpice magnorum præclara exempla virorum,
Qui forti duras mente tulere vices.

Ante

Ante oculos tibi ſit Domini patientis imago:
  Saxeus es, viſo ni moveare Deo.
Ille [viden?] pro te ligno ſuſpenſus ab alto
  Probraque , crudelem ſuſtinuitque necem ;
Tu leve neſcio quid contra ſufferre recuſes?
  Hanc igitur Domino reddimus, Urſe, vicem ?
Si bene te novi, melior ſententia mentem ,
  Atque tuam melior diriget aura ratem .
O utinam, ut par eſt, hæc ſint tua vota, preceſque,
  Cum bene ſuſtineas plurima, plura pati.

A D B A L B U M.

LINGUAE CUSTODIAM INCULCAT .

E L E G I A VIII.

QUidquid Apollinea depromptum, Balbe, pharetra
  Mittis, Apollinei muneris inſtar habet.
Aſt ego quid contra referam ? quæ dona rependam
  Tempore digna tuo, tempore digna meo?
Pauca monere juvat: ne ſpernas vera monentem;
  Dictaque [ceu ſolitus] conſule noſtra boni.
Si quidquam experto credendum eſt: cura domandæ
  Primaque ſit linguæ, ſummaque Balbe tibi.
Grande malum lingua eſt, ni ſancti frena pudoris
  Injiciat ratio , commoneatque ſui.
Eſt leve neſcio quid miſſum de pectore verbum,
  Sed ferit, & ſecum vulnera ſemper habet.
Sæpe pedem tenui transfixum cuſpide læſit
  Spina, ſed haud tenuis cauſſa doloris erat.
Vipera quam parvo incautos petit improba dente!
  Parva ſed admoto vipera dente necat.
Forte erit, ut quiſquam ridenti arrideat ultro,
  Miſceat argutis & ſua dicta jocis.
Dumque placent riſus, præbes plaudentibus aures,
  Inque tuæ partem ponere laudis amas.

Nempe facis, quod ſæpe ſolet plaudente theatro
  Scurra; quod in triviis turba proterva ſolet.
Quid? ſi cui minime velles, es cauſſa pudoris,
  Cogis & objectis erubuiſſe notis?
Ah fratrem lædis, fratri convicia dicis,
  Et ſcelus a lingua credis abeſſe tua?
Immo aliquos luſus non fert patienter amaros,
  Vindictamque animo ſumere læſus amat.
Mox ubi tempus erit, veteres exſuſcitat iras,
  Evomit & voces in tua damna pares.
Hinc agitat miſeras juſtus dolor, iraque mentes,
  Hinc mala convictus jurgia ſemper habet.
At non hos homini linguam conceſſit in uſus
  Conditor, & primi Dogma magiſterii.
Quis furor eſt hominum tantus? cur ad mala noſtra
  Vertimus, in laudes quod dedit ille ſuas?
Si ſapis ergo, tene linguam: non audiat ullus
  Addita ſermoni verba profana tuo.
Tolle jocos, quos te ratio docet eſſe malignos,
  Qui poſſint alios lædere, tolle ſales.
Socraticis pectus madeat ſermonibus: & te
  Mens bona ſemper agat, conſilioque regat.

AD MEGALINUM.

Voluntatem adverſus illum ſuam declarat ; ſed carminum commercia ob ingraveſcentem ætatem detrectat .

ELEGIA IX.

MEne tui ſubito cepiſſe oblivia? mene
  Tædia? me ſcripto velle carere tuo?
At quidvis potius, quam talia credere , fas eſt:
  Talia nimboſis trade ferenda Notis .
Quamquam ego ſum quondam gelidis in montibus ortus,
  Reptavique inter ſaxea teſqua puer;
Non tamen aut friget circum præcordia ſanguis;
  Aut riget in noſtro pectore dura ſilex .
Sed bene , quod monitu rectoris læta revixit
  Mens tibi, ut infuſa pallade flamma ſolet;
Atque animus rediit , pulſis curaque , metuque ;
  Ut redit, expulſa nube , ſerena dies.
Siccine ſed me carminibus , Megaline , laceſſis,
  Audeat ut mea par muſa referre pari?
Non eadem eſt vitæ ratio , non æqua duobus
  Eſt ætas: diſpar cultus utrumque decet.
Te citharæ , cantuſque decent , & Apolline dextro
  Bellerophonteo ſubdere calcar equo .
Vivere me ſatis eſt: alienos occupat annos,
  Si mea Pierius pectora tangit amor .
Cerne comas : vernant nigri tibi fronte capilli,
  Candida ſed noſtro in vertice ningit hiems.
Ecce, bis undena trieteride pæne peracta ,
  Languet iners , animo deficiente , vigor .
Quid multis? abiit jam ſexageſimus annus,
  Cui ſextum forſan proxima junget hiems.
Res dubia eſt: quis enim novit quo tempore Clotho,
  Aut Lacheſis vitæ ſcindere fila paret?

Altera poſt idus fulgens aurora Decembres
  Naſcenti puero lux mihi prima fuit ;
Undecies ſenos mihi jam denunciat orbes
  Volvier ; heu metæ proximus ille dies!

MORAM APUD AMICUM PURGAT.

ELEGIA X.

HOc bene , quod coram juſtas exponere cauſſas
  Jam licet , & noſtræ tempora longa moræ.
Quid mihi deſidiæ nomen, ceu ſponte moranti,
  Objicis ? immerito crimen ineſſe putas .
Jampridem, fateor , muſarum ad tecta reverti
  Debueram, & veteres incoluiſſe lares :
Debueram , & vellem ; ſed mens mortalibus ægra
  Conſilio interdum fallitur ipſa ſuo .
Numinis arbitrio rerum natura gubernat
  Omnia , nec nobis tempora noſſe dedit.
Propoſui quoties pactam conſcendere puppim!
  Cum bene propoſui , lentior uſque fui.
Obſtitit inceptis Cæli fortuna, mariſque
  Invida , tam multos detinuitque dies.
Dicebam , me Sireni lux altera reddet;
  Altera ſed pelago lux minus æqua fuit.
Nam modo ſurgebant violentis flatibus Euri,
  Et modo nimboſis turbidus Auſter aquis.
Quid facerem ? ſuperare pedes abrupta viarum
  Non poterant ; rigido ſunt loca plena gelu.
Sive igitur terram, pelagi ſeu cærula ſpectem,
  Nec mihi dat pelagus , nec mihi terra viam .
Ecce autem nitido lux una affulſit Eoo,
  Viſaque conſueto purior ire dies .
Spondebant facilem ventique , & marmora curſum,
  Nullus & in placido gurgite fluctus erat.
Opportuna mihi , dixi , ſeſe obtulit hora,
  Ultima jam noſtræ lux erit iſta moræ.

Litora

Litora tum, Nautaſque peto, puppemque paciſcor,
  Addor. & impulſæ ſarcina parva rati.
Nam neque me venti, nec me maris ira retardat,
  Sæva licet fluctu ferveat unda ſuo.
Provehimur pelago, remiſque urgentibus æquor
  Attigit optatum noſtra carina ſolum.
Hic mihi ſeſe offert Phœbus; lætamur uterque,
  Illius aſpectu dum fruor, ille meo.
Ecquid adhuc nobis iraſceris? æquius undis
  Iraſci, adverſo debueraſque mari.

AD PERIANDRUM

JUNIOREM E SOC. JESU RHETOREM,

Qui carmen de Magnae Matris *doloribus flagitarat.*

E L E G I A XI.

TE tenet, Aonio manat quæ gurgite lympha,
  Lympha Poetarum ſemper amata choris.
Et modo ſecuro decerpis pollice flores,
  Quos rigat appulſu Caſtalis unda ſuo;
Et modo pimpleis immergis labra fluentis,
  Expleri Vatum quo ſolet amne ſitis.
Si libeat doctis te permiſcere Poetis,
  Pieriaque hilares ducere ab arte choros;
Hæc loca ſemper habent, Phœbo ductore, choreas,
  Hæc loca Muſarum carmina ſemper habent.
Hic licet argutas audire & reddere voces,
  Et Vatum numeris, alloquioque frui.
Si placet heroo componere verba cothurno,
  Alta cothurnati plectra Maronis habes.
Si placet imparili gradiens Elegeia paſſu,
  Cultus in Aonio colle Tibullus adeſt.
Se ſocium Naſo, graviorque Propertius addit,
  Quos tibi præferri, docte Catulle, doles?

Nec numeroſus abeſt tam multo carmine Flaccus,
Flaccus Romanæ primus in arte lyræ.
Sic inter lauros, inter læta agmina Vatum,
Dum ducis, Phœbo non renuente, dies;
Iſta [nec invideo] tua ſors : hinc tu mihi ſemper
Culta potes cultis mittere verba modis.
Me vero antiquo dum vis includere ludo
Rurſus, ad oblitas & revocare Deas;
Exigis ut repetat laſſus gladiator arenam,
Ridendumque jubes currere rurſus equum.
Non eadem eſt ætas, non vis, non pectoris ardor,
Non quæ præterea commoda carmen amat.
Ergo dum me Virgineos memorare dolores
Flebilibuſque jubes concinuiſſe modis,
Grande onus imponis certe; noſtriſque timendum
Viribus: haud parvæ res erat illa lyræ.
Si canitur Virgo, ſint cantus Virgine digni;
Hei mihi ſed noſtro eſt raucus in ore ſonus!
Quod ſi par foret ingenium, non gratior ulla
Materies, nullum gratius eſſet opus.
Tunc ego luſtrarem Solymeam protinus Urbem,
Atque Palæſtinos advena triſtis agros.
Hic te mœſta Sion, & olivifer hortule, teque
Aſpicerem haud ſiccis, Golgotha, luminibus.
Tunc mea per veſtros reſonaret tibia colles,
Eſſet & a lacrymis humida terra meis.
Atque antra, atque auras, atque aſpera ſaxa docerem
Triſtia lugubri reddere verba ſono.
Nam canerem, quanto Mater confecta dolore,
Fugerit in terras, barbare Nile, tuas.
Qui fuerit ſenſus, dum Natum quæreret, & dum
Amiſſum Solymis crederet eſſe Deum.
Dumque olim in Templo miſerans ait Anna, Doloris
Tranſadiget gladius pectoris ima tui.
Poſt ubi jam vitæ caſus narrare ſupremos
Inciperem, & Nati verbera, vincla, crucem;

Tum

Tum gemitu tigres, gemitu mollire leones
 Auderem, & ſi quid ſævius eſſe poteſt.
Hæc ego non ſegni canerem, Periander, avena,
 Ingenium poſſet ſi ſatis eſſe meum.
Credula ſed voto quo ſpes contendit inani?
 Non eſt exigui carminis illud opus.

ANTONIO GALEOTAE

Cui poſcenti verſus mittit quidem, ſed proſæ orationis more deſcriptos.

E L E G I A XII.

SIc placet, Antoni? tibi me reſponſa latine
 Mittere, cum patria ſcripſeris ipſe nota?
Si verum fateare, petis non æqua: laceſſe
 Tu prius, hac motus forſitan arte ſequar.
Nam quod ais, nullo nobis conſtare labore
 Illo, quo gaudet Tullius, ore loqui;
Hoc tu nempe favens veteri concedis amico;
 Et quod ineſſe cupit, jam ſibi fingit amor.
Utcumque eſt, certe Latiæ facundia linguæ
 Non minor exornat pectus, Amice, tuum.
Novimus, ut quondam Romano digna Senatu
 Multa tuâ fuerit littera ſcripta manu.
Ipſe tamen varias, quæ turbent otia, curas
 Excuſans, ita te ſcribere poſſe negas.
Anne Tarentini Latium excuſſere Penates
 Verius, OEbalii deliciæque ſoli?
Sed quodcumque rei eſt, certe parere jubenti
 Me decet; obſequii ſint ea ſigna mei.
Exequor en igitur quæ tu mandata dediſti,
 Sed ne te fallat littera ſcripta cave.
Illa quidem apparet numerorum lege ſoluta,
 Et quaſi Romanæ Syrmate tecta togæ.
Cerne pedes, adſtricta modis veſtigia cernes,
 Alterno quamvis claudicet illa gradu.

Cur ita ? forte roges. Quia bacchanalia ludit,
Et perſonata fronte venire cupit.
Illam tu blando, ſolitus quo cetera, vultu
Excipe ; jucundum nam tibi portat Ave.
Teque ſalutatum noſtro vult nomine, teque
Ut noſtri pariter ſis memor uſque, rogat.
Et rogat, ut valeas multos feliciter annos,
Et ſint ætatis candida fila tuæ.
O utinam ! noſtro ſint Aſtra faventia voto,
Quæque tibi cupio, donet ab axe Deus.

AD GRAECINUM

PROPEMPTICON

Per autumnales ferias, cum, ut moris eſt, Juniores noſtri Neapoli in Soſianum commigrarent ruſticaturi, Vates totam ejus itineris rationem ſingillatim Græcino ſuo deſcribit.

ELEGIA XIII.

Rura vocant! Græcine, tuos, Villæque Sodales,
Rura fatigatis viribus apta quies.
Ite bonis avibus : conſueti ad limina currus
Expectant, celeres expediuntque rotas.
Num quis abeſt ? lentuſque mora tricatur inepta?
Scilicet accinctis res odioſa mora eſt.
Convenere omnes : jam conclamatur, EAMUS :
Quiſque ſuum, levis eſt ſarcina, portet onus.
Cum pare quiſque ſuo juſſi conſcendite : binos
Rheda vehet ; major bis duo currus aget.
Prima ſed orandi ſtudio conſumitur hora,
Propitiumque rogat clam ſibi quiſque Deum.

Ut

Ut ventum ad Pontem (*a*), fecit cui Magdala nomen,
  Sebethique leves tranſieritis aquas;
Virginis alternis reſonent laudeſque preceſque,
  Ut lauretana ritus in AEde viget.
Quod ſupereſt, iter alloquiis de more levetur:
  Pulverulenta quidem, ſed tamen æqua via eſt.
Lintea cervicem foveant focalia circum,
  Si matutini frigoris aura nocet.
Eſſeda feſtinant, retro pilenta ſequuntur
  Tardius; at meta eſt omnibus una tamen.
Tu qui commiſſas dexter moderaris habenas,
  Hoc age: ne rheda ſubſiliente cadas.
Neu ſocios currente rota prævertere tentes;
  Præmia veloci non meriturus equo.
Vidi ego, qui curſu fuerat juveniliter audax,
  Accepto miſerum poſt ſapuiſſe malo.
Si quis in adverſum currus feſtinet, eundo
  Præcave, ne tacto ſtringat ab axe latus.
Mox ubi jam Templum Jeſſææ Matris ab Arcu [*b*]
  Oſtentant ſummi tecta videnda tholi;
Salve o, quiſque palam dicat, Regina. Salutem
  Quam damus, hanc nobis largius illa refert.
Sacras ante fores, quamquam properabitis, omnes
  Siſtite, nec pigeat ſuſtinuiſſe rotas.
Hac tranſire nefas, niſi Templum ingreſſus ad aram
  Quiſque ſalutata Virgine poſcat opem.
Grande moræ pretium: quam ſint rata vota, docebit
  Plurima, quæ muros picta tabella tegit.

Jam

(a) *Quædam deinceps deſignantur itineris intervalla, noſtratibus ſatis perſpecta. Hìc Pontem intellige Sebetho impoſitum; cui nomen inditum eſt a proxima AEdicula D. Mariæ Magdalenæ ſacra, vulgo* Ponte della Maddalena.

(b) *B. Virginis Templum, ab Arcu nuncupatæ, miraculis prope innumeris clariſſimæ. Abeſt Neapoli ſex fere millia paſſuum.*

Jam ſatis hoc. Repetat ſua quiſque petorrita : ſi quem
Prora ſolet motu lædere, puppe ſede.
Aut ſi forte placet Ciſio mutare Covinum,
Non deerit , tua qui commoda frater amet.
Nullus erit? præſtat pedibus ſufferre laborem ;
Non erit herculeus, tam brevis hora, labor.
Namque ubi de magnæ Matris diſceſſeris AEde,
Millia Soſiacus vix tria diſtat Ager.
Cernis ? Anaſtaſii jam proxima tecta ſubimus: (*a*)
Tu loca declivis carpe ſiniſtra viæ.
Dextera, quæ recta eſt, Summanam ducit ad arcem,
Quaque olim, Octavi, Rus tibi dulce fuit.
Dum loquimur, Veteris Reginæ Villa propinquat, [*b*]
Villa per hos ultro ſæpe petenda dies .
Jam Campi patuere : venit jam lætior aura,
Jam licet aſpectu liberiore frui ,
Parva mora , & Putei (*c*) dictum de nomine Templum
Aſpicies, poſitæ dant tibi ſigna Cruces.
Virginis Effigies, puteo celante , reperta eſt:
Inde coli cœptus relligione locus.
Præteriens inflecte caput , Matremque ſaluta,
E media, curru non remanente, via.
Sunt iſtinc , fateor, compendia nota viarum,
Qua brevis in noſtrum ſemita ducit Agrum.
Sed læva de parte rotis via pervia non eſt :
Anguſtum tenui limite pandit iter.
Ergo age , duc recta currus Auriga, ſecundo
Numine, jam votis meta petita prope eſt.

Nonne

[a] *S. Anaſtaſii Pagus: unde recta iter eſt ad Urbem Summam, atque ad Octavianum Pagum.*

(b) *Prædium ſatis amplum in Summanis finibus* , *vulgo* Starza della Regina.

(c) *Deiparæ Templum* , *cui agnomen a Puteo* , *ubi olim latitans Imago Virginis Matris inventa eſt*, *in Summæ Urbis vicinia : addictumque eſt Fratribus Minoribus e Familia S. Franciſci.*

Nonne vides? hæc Soſiaci ſunt limina fundi,
Limina jam noſtro ſæpe terenda pede.
Hæc eſt, quæ recto via limite dividit Agrum,
Candida cui Morus veſtit utrimque latus:
Candida, namque ullo numquam reſperſa cruore,
Sive tuo Thiſbe, Pyrame ſive tuo.
En Domus, en Templum: placidi ſalvete Receſſus,
Sint mihi felici limina tacta pede.
At vos, o Juvenes, memores advertite mentem,
Legibus ut mores convenienter eant.
Si pietas etenim monitis inſtructa paternis
Omnia ſubmoveat noxia, labe carens,
Septima poſt decimam reduces aurora videbit;
Sin ſecus: addicti quinque decemque dies.

AD MARCELLUM,

E SOC. JESU JUNIOREM.

Quem pietatis, & officii admonet in ruſticatione Soſiana.

ELEGIA XIV.

HOc bene: Soſiacos igitur novus advena campos
Cum ſociis Cælo rite juvante petes.
I felix Marcelle: tamen ſic ire memento,
Ut pietas animi ſit comes uſque tui.
Illam, quidquid ages, quoquo veſtigia vertes,
Fac ſociam tecum ſemper habere velis.
Illa regat bene compoſitos in pectore mores,
Compoſitos geſtus corporis illa regat.
Ne tibi ſit durum leges ſervare ſilendi,
Dum lex, dum ratio recta ſilere jubet.
Neu pigeat precibus conſuetas temporis horas
Tradere: ſunt Superis hoſtia grata preces.
Matutina tuos dum lux abrumpere ſomnos,
Voxque Deo grates reddere prima monet;

Impiger e ſtratis opera ad cæleſtia ſurge;
Et memor officii rite precare Deum.
Poſt ubi jam prodire foras, campoſque propinquos,
Aut potius colles viſere tempus erit;
Perge, ſed ante alias ea ſit tibi maxima cura,
Ut mores omni ſint ſine labe tui.
Aſpicies flavas curvatis vitibus uvas,
Aſpicies ramis pendula poma ſuis:
Forſitan & cupies aliquid decerpere furtim;
Abſtineas avidas tu tamen inde manus.
Hei mihi! primævos hac vicit fraude Parentes
Perfidus ille hoſtis, callidus ille draco.
Hactenus aſpectu tenuit nos campus aprico,
Sed monet hora pedem tarda referre domum.
Evocat huc alacres pugilum de more palæſtra,
Et trochus, & reſonans area pulſa globis.
Luſeris, haud renuo: neque enim præceptor agreſtis
Eſſe velim, qui te ludere forte vetem.
Luſeris: at ſua non deſint modo feria ludo:
Sint ſine fraude tui, ſint ſine felle joci.
Parcimus innocuis, prohibent ni tempora, ludis,
At metam prohibet tranſiliiſſe decus.
Sint procul effuſi riſus, & quidquid ineptum eſt,
Quodque minus pietas relligioſa probet.
Quis ferat incomptos, & amantes jurgia fratres,
Qui male clamoſis obſtrepuere modis,
Ut ſolet in triviis inſano more popellus,
Ut ſolet in medio turba proterva foro?
Nullum læde prior: Lædentem vince ferendo;
Iram qui novit vincere, victor erit.
Hæc modo pauca tibi pro tempore mittimus; at tu
Illa memor tecum ſæpe revolve. Vale.

ITER

ITER VESUVIANUM

AD B. VIRGINIS AEDEM,

Quæ a Caſtello dicitur, in clivo Summani Montis poſitam; quo Juniores noſtri e Soſiano pietatis ergo adire ſolent.

E L E G I A XV.

ITur ad excelſam, Jeſſææ Virginis AEdem,
  Veſviaci dorſum quæ premit alta jugi.
Huic aut Caſtelli fecit vicinia nomen,
  Aut ſitus ; ut ſumma collis in arce ſedet.
Præ puer it, vel pone ſequens, jentacula ſecum
  Providus, atque humeris plena caniſtra gerit.
Longum iter : at res hæc non eſt operoſa volenti;
  Nil grave ſedulitas, nil grave ſentit amor.
Huc ubi perventum, primo venerare ſacellum
  Quiſquis es, & flexo poplite funde preces.
Poſtmodo, dum ſacram Myſtes operatur ad aram,
  Hoc age, præſentem devenerare Deum.
Nec prius abſcedes, clara quam voce Sacerdos
  Munere jam functus dixerit, Ire licet.
Ite, & latrantem ſtomachum lenire licebit:
  Exhibet appoſitas ruſtica menſa dapes.
Caſeus eſt illic, tuceta, tomacula, pernæ,
  Pomaque quæ Cereri conſociare juvet.
Pauca tamen ſatis eſſe queant opſonia: paucis
  Matutina fames eſt relevanda cibis.
Interea fas eſt jucundo paſcere viſu
  Lumina, & obtutu liberiore frui.
Campanos late patet hinc proſpectus in agros,
  Quoſque Laborinos patria lingua vocat.
Cum Cerere hic olim fuerat certamen Iaccho,
  Eſſet utri proprium regna tenere ſoli.

Com-

Compoſitæ lites tandem: Nam Bacchus Eoas
  Obtinuit partes, Occiduaſque Ceres.
Hinc alit ingentes Capuæ vicinia meſſes,
  Nola magis tumidæ munera vitis amat.
Quæque latus circum complectitur ora Veſevi,
  Pomonæ, & Baccho fertilis eſſe ſolet.
Aſpice quam pulchro pandit ſe ſcena theatro,
  Cinctaque perpetuis montibus arva jacent?
Quam multæ paſſim Villæquæ, Urbeſque per agros
  Tollunt quæque ſuis tecta videnda locis!
Illa, viden'? convalle Domus depreſſa ſub ima
  Quæ jacet, & vix eſt conſpicienda procul;
Illa, Domus noſtra eſt (a). Viden' hinc? Malatheſtylis illa eſt,
  Alta ſitu gaudens commodiore loci.
Jamque aliquis volvens oculos per ſingula, dicat,
  Heu male vos nobis conſuluiſtis Avi!
Heu quianam veteremque larem, collemque ſalubrem
  Soſiacæ valli poſthabuiſſe placet?
Hæc certe jucunda loca, & ceſſantibus apta;
  Purior hanc Zephyri ventilat aura Domum.
Viderat hoc, iſta primus qui ſubſtitit ora,
  Viderat Alfonſi [b] provida cura ſenis,
Cui ſale, cuique mero, ſapidumque & amabile nomen,
  Et madidum docta pallade pectus erat.
Illi grata fuit ſtatio Malatheſtylis, illum
  Excepit, veteri detinuitque lare.

Quid

(a) *Domum Soſianam intelligit in loco quidem humiliore ſitam: cum non procul abſit Malatheſtylis, vulgo* Maſſeria di Malateſta, *quæ in eminentiore loco cum ſit, Cælo etiam ſalubriore & puriore utitur.*

(b) *P. Alfonſus Salmeron, vir litteratura, ſcriptiſque clariſſimus, Malatheſtylim voluerat eſſe vacationum autumnalium ſedem: ſed hæc proceſſu temporis cum Soſiana commutata fuit, an pietate in S. Soſium, cui ſacra Ædes illic baſilice refecta eſt; an alio conſilio, incertum.*

Quid querimur tamen hic ? vanas tu Muſa querelas
  Comprime , diripiunt irrita verba Noti .
Et jam tarda monet maturos hora regreſſus:
  Quiſque, ſalutata Matre, redite domum.
Neu nimium celeri, ſed cauto incedite paſſu,
  Ne doleant tacto duriter oſſa ſolo.
Aſpera prima via eſt , & lubrica ; quippe coactis
  Per pronum pluviis terra cavatur aquis .

A D A M I C U M

Ut poetica ſtudia , ſi minus proveniunt , Oratoriis commutet .

E L E G I A XVI.

NOn ego , ſi te Pierides , Phœbuſque recuſant ,
  Iraſcar Phœbo, Pieridumque choro.
Nec te, ſi toties libatam reſpuis undam,
  Vecordem arguerim , deſidiæque reum .
Nam cui naſcenti facilis non riſit Apollo,
  Ubere quem Muſæ non aluere ſuo ;
Ille per Aonios fruſtra ſpatiabitur agros,
  Parnaſſi fruſtra per juga tendet iter .
Et modo Calliopæ faciet, modo vota Thaliæ ,
  Præſtet ut argutas illa, vel illa lyras .
Sed neque Calliope accipiet , neque vota Thalia,
  Nec dabit argutas illa , vel illa lyras.
Ergo conanti tibi ſi deducere carmen ,
  Pimpleoque tuam fonte levare ſitim,
Omnia ſurda tacent , nec ſunt in carmina vires ,
  Ipſaque poturi deſerit unda ſitim ;
Verte alio curſus : Phœbum , Phœbique ſorores,
  Et ſacra Parnaſſi tecta valere jube .
Huc alii properent , quos dorſo vectat , & alis
  Pegaſus, Aonio non renuente choro .
Quin tu Palladiæ mavis præcepta palæſtræ,
  Atque Oratores inter habere locum ?

Hac certe, ſi quiſqam alius, te parte docebit
  Arbiter Auſonii Tullius eloquii.
Hic docet, abſenti qualis mittatur amico
  Littera, ſecretas apta referre notas.
Uſus amicitiæ qui ſit jucundus, honeſti
  Officii ratio quæ ſit habenda, docet.
Tum memorat, ſeniore quidem narrante Catone,
  Commoda quæ ſecum longa ſenecta ferat.
Quid referam, ut Sophiæ ingrediens arcana, per omnes
  Incedit magnus, conſpicuuſque vias?
Illic Socraticis implet ſermonibus aures,
  Et qua divinus ſcripſerat arte Plato.
Illic magnorum quæ ſit natura Deorum
  Edocet, æthereas auſus adire domos.
Explicat & Leges, quæ nos ceu frena coercent,
  Nec curſu abreptos quolibet ire ſinunt.
Explicat & Fines; Divinandique recludit
  Sacra; neque arcanis abdita Fata tacet.
Huc oculos, huc verte animum, curaſque ſequentes:
  Hac tibi non tenuis laude petetur honos.

A D P O L Y D O R U M,

A D O L E S C E N T E M

Quem ad Muſas, virtutemque incitat.

E L E G I A XVII.

AD noſtras inopina manus tua littera venit:
  Illa inopina quidem, ſed mihi cara tamen.
Nomine grata tuo, Pimpleæ grata ferentis;
  Nam tulit ornatis Calliopea comis.
Illa mihi de te retulit, quæ noſcere vellem,
  Quæque animum poſſent exhilarare meum.
Namque ait, Anioſque lacus, Pindique receſſus
  Jamdudum celeri te petiiſſe gradu.
Jamque manu tractare lyras, quibus ante Tibullus
  Romano ſolitus concinuiſſe foro.

Secta-

Sectarique modos Peligni Vatis, & Umbri,
Quorum hic nobilius, dulcius ille canit.
Mox etiam auſurum numeros tentare Maronis,
Atque cothurnato grandius ire pede;
Et numeros Flacci, quos Roma opponere certat
Sive Alcæe tuis, Pindare ſive tuis.
Interea Muſas vario de flore corollas
Nectere, quæ fronti ſint decus uſque tuæ.
Talia dicenti (grata eſt audire voluptas)
Credimus; & faciunt carmina miſſa fidem.
Ergo age, ſume animos, mentemque ad grandia natam
Erige: neu faciant cura metuſque moram.
Incepta bene perge viâ Polydore; nec umquam
Deficiant greſſus, quoque jubentur eant.
Et modo Parnaſſi ſcandentem ad templa Maronem
Subſequere attenta ſedulitate comes:
Et modo, Romuleas implet dum Tullius aures,
Diſce memor magno cum Cicerone loqui.
Nulla dies adeo vacuis pertranſeat horis,
Commoda quin carpas, perficiaſque ſtilum.
Nec tamen interdum pigeat curſare per arva
Grammaticæ, & certa diſcere ab arte vias.
Alvarus eſt illic, & Turſellinus; utrumque
Rite ſequi poterit cauta juventa Ducem.
Cura tamen ſit prima Deo inſervire, Deique
Auxilium fuſa demeruiſſe prece.
Illinc cuncta fluunt æquis mortalibus: illuc
(Exigit hoc pietas) cuncta referre decet.
Si bene te novi, non negligis iſta: tuoque
Officio non pars temporis ulla vacat.
Quod facis, ut facias moneo: ne ſperne monentem:
Quid nocet admiſſo ſubdere calcar equo?

AD NICOSTRATUM ADOLESCENTEM,

Qui Vate auctore adſcriptus B. VIRGINIS *Sodalitio, paullatim ad ſolutiores mores deflectere cœperat. Admonitus rei, & periculi Vates abſentem per litteras amanter objurgat, monet, & quæ ſedulo cavenda ſint, docet.*

ELEGIA XVIII.

Eſſe quid hoc dicam, miſero quod ſemper amore
  Aut læſa, aut lædi proxima corda geris?
Hoc rear eſſe animi ſtudia ad cæleſtia nati?
  Hoc ſacra Jeſſææ corda decere rear?
Scilicet hanc rutilans ornet ſapientia mentem,
  Quam prius orbarit lumine cæcus amor?
Hoc Superis placeat, dignumque ſit æthere pectus,
  Cui nimium cœno ſordida terra placet?
Sola animo placuiſſe tuo ſapientia; ſola
  Debuerat titulum cordis habere Charis.
Neſcio quæ cœnoſa ſedet nunc pectore cura:
  Quid facis? affectus inquinat illa tuos.
Inquinat & mentem, vanis quæ rebus inhæret,
  Fixa velut radix arboris hæret humi.
Ah! cæleſtem animum vili corrumpis amore,
  Dum ſervum vitiis nobile pectus habes.
Non bene ſincerum plumbo miſcebitur aurum,
  Non bene conveniet candida gemma luto.
Siccine divinis animum virtutibus ornas?
  Siccine divino pectus ab igne calet?
Hoc igitur Numen toties in vota vocatum,
  Hoc jurata fides exigit, hoc pietas?
Hic amor eſt, quem nempe Deo tu reddis amanti?
  Tot titulis illi debitus, hic amor eſt?
Sentis, cui faciant noſtræ convicia Muſæ,
  Pingit & ingenuus forſitan ora pudor.

Ne

Ne tamen hæc odio tibi ſint, Nicoſtrate, verba:
Fallor? an & pronis auribus illa bibes?
Quis, niſi non ſanus, dextram auxiliantis amici
Rejicit, aut odio verba monentis habet?
Nec, quia tu monitis egeas; ſed ne nihil ipſe
Reſcribam, tecum pauca, ſed apta loquar.
Dum tibi vix prima pectus tentatur amoris
Cuſpide; vix tenuis permeat oſſa tepor;
Ah! fuge tunc procul igne, procul lædente ſagitta;
Ut puer a viſo territus angue fugit.
In genere hoc pugnæ non eſt audacia tuta,
Provida ſollicito tuta timore fuga eſt.
Ni facias, aliquid ſtringet de corpore ferrum,
Creſcet & in magnam ſpreta favilla facem.
Excindenda mali tibi ſunt naſcentia morbi
Semina; ne vires det mora longa ſuas.
Obrue, dum tenuis fons eſt; ne fiat eundo
Major, & immenſas colligat amnis aquas.
Inſinuat ſeſe furtim malus hoſpes, & arma
Celat, at experta callidus arte nocet.
Tu ne crede dolis, dulci ne crede veneno,
Jam toties damno doctus ab ipſe tuo.
Sunt etiam quæ te ſemper vitare jubebo:
Tu mea verba ſuum pondus habere puta.
Et coram laudare, & blandis vocibus uti,
Et nimium ſocio velle placere ſuo,
Vicinum tetigiſſe pedem, nutuſque loquaces
Addere, per cauſſam ſic tetigiſſe manum,
Omnia ſunt fugienda; nocent namque omnia: ſecum
(Dicere ſi fas eſt) omnia crimen habent.
Nec furtim tacito quidquam ſermone loquaris,
Sive palam, ſeu quo tempore teſtis abeſt.
Nec quodcumque tuo verbum ſic excidat ore,
Ut ſubito dictum ſentiat ille ſibi.
Sæpe etiam pietas, aut ne videare ſodali
Ruſticus, heu! partes conciliantis agent.
Ne te decipiat falſi velamen honeſti;
Sunt ea, ſunt culpæ ſplendida verba tuæ.

Denique quidquid erit, quo falli pectora poſſint,
Saxaque compelli rurſus ad icta pedes,
Impiger effugito; teque ipſum aſſueſce premendo
Vincere, & aſſertum tollere ad aſtra caput.
Dura animo ſint hæc, & forſitan aſpera molli,
Aſpera ſed licet & dura, ferenda tamen:
Nonne vel invitis capies abſinthia labris,
Afferat ut ſtomacho ſuccus amarus opem?
Omnia ſunt tentanda tibi, quacumque fugari
Poſſit, ut indignus pectore cedat amor.
Scis etenim, ſcis ipſe, quibus mens anxia curis
Damnaque pertulerit, probraque multa diu.
Excute te tandem: præſtat ſemel omnia fortem
Dura pati: præſtat dedoluiſſe ſemel.
Plura monere velim: ſed ſcribere plura volentem
Pagina deſtituit, deſtituitque dies.

AD NICOSTRATUM EUNDEM,

Cui initum B. VIRGINIS *Sodalitium, ceterumque animi cultum in mentem reducit; hortaturque, ut pravos convictus caveat;* DEIQUE *præſentis*, DEIQUE *Judicis meminerit.*

ELEGIA XIX.

DElicias alius blando tibi ſuggerat ore,
Spondeat & verbis omnia læta ſuis,
Quo tua libertas legeſque, modumque recuſet,
Dum malus incauto in pectore ſurgit amor.
Non ego te peritura velim conquirere: non te
Horter, ut in vanis tempora rebus agas.
Et quamquam nequeo crebris ſermonibus aurem
Vellere, & admonitu ſæpe juvare meo;
At non ſubmiſſis pigeat monuiſſe tabellis,
Suppleat ut linguæ charta notata vices.
Hei mihi! cur vultum avertis, refugiſque monentem,
Invitiſque oculis carmina noſtra vides?

Quid

Quid fugis ? ah cave ne mentem malus auferat error ;
Quem ſequeris , fugito : quem fugis , hunc ſequere.
Ille ego ſum, qui Jeſſæis te adjungere ſignis
Dum cuperes , vitæ jam melioris amans,
Et juvi, & ne ſpes voto fraudata jaceret,
Suſcepta officiis eſt tua cauſſa meis.
Ille ego ſum, qui te primo ſubdoctor in ævo
Erudii , mores inſtituique tuos.
Quem tu conſulere interdum, atque audire ſolebas,
Et non invitis auribus, ille ego ſum.
Quare ne dubita dictis advertere mentem,
Quæ me ſincerus promere cogit amor.
Quæ bona ſunt , quæ recta , palam, nulloque vetante
Fiunt , nec retrahens impedit illa pudor.
Sola rubore genas tingunt , cupiuntque latebras ,
Sola timent clarum facta nefanda diem ,
Sed fruſtra tacitas cauti conquirimus umbras,
Ne gens occultos reſciat ulla dolos.
Eſt Deus immoto qui conſpicit omnia vultu,
Factaque quem nuſquam, dictaque nulla latent :
Cunctis ille locis præſens quæcumque geruntur
Novit , & expendet tempore quæque ſuo .
Dic mihi , num priſcos retines in pectore mores ?
Quæ Domino pacta eſt , num viget alba fides ?
Dicebas , memini , nullo te tempore velle
Juratam Domino deſeruiſſe fidem .
Non tibi ſi totus furiis certaret Avernus,
Non ſi deliciis terra timenda ſuis .
Nec, quod te recti cepiſſe oblivia credam,
Hæc loquor , a nobis ſit procul iſte furor ,
Sed quo quemque modo, quo jungas fœdere, cautus
Inſpice: non ſegnem res petit iſta virum ,
Nec ſpecioſa tuæ prætendas nomina culpæ,
Affectu mentem præripiente bonam.
Theſea Pirithous forſan tibi credis amicum ,
Aut Pyladem fidum credis , Oreſte, tibi ,

Quam vereor, ne ſit furiis agitatus uterque,
Ne miſer ad ſtygios tendat uterque lacus.
Quæcunque eſt nexu concordia juncta profano,
Deſinet exigua diſſolüenda mora.
Tum tibi diſpliceas inglorius; & tibi dices
Heu male conſumptos præteriiſſe dies!
Num rogo, num poterunt illi prodeſſe ſodales,
Dum reus aſtabis Judicis ante pedes?
Nullus erit, mihi crede, ſuo qui proſit amico;
Quemque roges vultu ſupplice, nullus erit.
Solus, inops, paviduſque Deo ſiſteris: ibi omnis
Eſt vitæ ratio diſcutienda tuæ.
Qualem præteritis ſementem feceris annis,
Extremo talis tempore meſſis erit.
Dum licet o greſſum referas: monitique memento,
Vive Deo procul a crimine, vive tibi.
Nec prohibe acceſſum luci, dum ſplendet ab alto;
Neu rigidas duri pectoris obde fores.
Hactenus elapſos utcumque inſumpſeris annos,
Fac modo pars vitæ cetera labe vacet.

AD NICOSTRATUM EUNDEM,

Quem ad ſuſceptæ pietatis conſtantiam, ad B. VIRGINIS *cultum, ad ſui cuſtodiam hortatur.*

E L E G I A XX.

HActenus incolumi curſum tenuiſſe carina,
Et pelagi fluctus te ſuperaſſe refers.
Gratulor: & Divis a me, quæ debita ſemper,
Redditur, ut par eſt, gratia Cælitibus.
O utinam firmo ſemper ſit robore puppis,
Et bene, quo cœpit remige, ſemper eat!
Tu tamen interea vigila, clavumque guberna
Impiger, & rectum dirige navis iter.
Eſt tibi, quam ſpectes dubium cynoſura per æquor
Virgo parens; Divam reſpice, tutus eris.
Hac monſtrante viam, ſcopulos vitabis & æſtus,
Syrtis & in dubia nulla nocebit aqua.
Aſpera ſi rabidi committent prœlia venti,
Et ferient miſeræ puppis utrumque latus;
Tu ne cede minis, ſed contra obſiſte, Deoque
Funde preces; validas experiere preces.
Sed cave, ſed fuge Sirenum fraudeſque, doloſquè;
Fraudibus, & blandis ne capiare dolis.
Prima ubi conſurgunt animo mala ſemina morbi,
Impulſuque levi corda videntur agi;
Opprime naſcentes, non eſt labor improbus, herbas,
Ne mora det vires, damnaque certa ferat.
Cernis, ut exiguam facile eſt reſtinguere flammam?
Non ita, ſi vires auxerit illa ſuas.
Aſpice primævos qua vicerit arte Parentes
Improbus ille, ſimul callidus ille draco:
Alloquio primum; faciles dum vocibus aures
Virgo, minus cauta ſimplicitate, dedit.

Mox

Mox oculis placitura procul pendentia poma
  Obtulit, illecebris inſidioſa ſuis.
Illa videt, tum viſa placent, placitiſque potiri
  Geſtit, & audaces tendit inepta manus.
Inde hominum genus infelix immenſa malorum
  Undique jam nullo fine premit ſeries.
Sic ſolet incautos ſinuoſus fallere ſerpens,
  Innumeros blanda dum ſtruit arte dolos.
Otia cum primis fugito lædentia mentem,
  Præcipue medio dum calet hora die.
Languida dum placidæ concedis membra quieti,
  Dum nihil eſt, quod tu deſidioſus agas,
Tunc prece, tunc votis Matrem, Natumque fatiga,
  Et dic, Rebus ades, Numen utrumque meis.
Tu bone, tu ſemper noſtros miſerate labores,
  Auxilio firma nunc mea corda tuo.
Tu Jeſſæa Parens, tu Mater Virgo, rogantem
  Aſpice; te mea ſit vindice tuta ſalus.

AD MEGALINUM

Docet quo pacto Veſtina frigora, hiemiſque vim frangat: tum laudat ejus carmen de NATALI CHRISTI DOMINI.

ELEGIA XXI.

AT tu parce queri, nimio quod frigore Cælum
  Contriſtent gelidæ, quæ cecidere, nives.
Duratur dum terra gelu, dum frigida currunt
  Tempora, tunc melius corpora noſtra valent.
Interea cano ſævit ſi Juppiter imbre,
  Auxilium poſito Mulciber igne ferat.
Si quondam Jove Saturnum nos frangimus; at nunc
  Vulcano liceat frangere nempe Jovem.
Addat ſe ſocium læta cum fronte Lyæus;
  Pectora muneribus recreat ille ſuis.

Neu

Neu ſit cura roſis caput, aut vincire corymbis;
  Nam ſatis eſt plenum ſi ferat œnophorum.
Caſtaneas Pomona ferat, quas dentibus ante
  Inciſas cineri ſuppoſuiſſe velit.
Sic juvat iratos tuto contemnere ventos;
  Sic juvat alpinas non timuiſſe nives.
Atque utinam tali poſſem gaudere corona,
  Accedens veſtri pars ego parva chori!
Caſtaneis, vinoque fruens ſecurus ad ignem,
  Ventos deſpicerem, deſpiceremque nives.
Sed quid ego hæc autem? longe diſtamus: abunde eſt
  Si memores eſtis tuque, cohorſque mei.
Et bene me pariter ſi quiſque ad pocula dicat,
  Dum ſolito plenus circuit orbe calix.
At fruſtra externo tantum nix frigore ſævit,
  Tam bene ſi fido pectus amore calet.
Nec ſatis hæc: dudum divino pectus ab igne
  Uſque (nec invideo) concaluiſſe reor.
Viſere dum vobis cunabula ſacra, Deoque
  Infanti laudes texere cura fuit;
Adſtitit e Cælo, qui mox dicenda præiret,
  Impleretque animum numine divus Amor.
Illius ex alis, potuit quæ ſcribere laudes
  Tam bene, tam comptas, ut puto, penna fuit:
Illius e flammis, potuit quæ incendere corda,
  Cæleſteſque faces addere, flamma fuit.
Sed, puto, dum triplicem nobis fert una ſalutem
  Littera, ſufficiet noſtra vel una tribus.

AD

AD TORQUATUM.

Suorum carminum laudes extenuat Vates: tum querentem Torquatum poetica ſtudia ſibi minime ſucceſſa, ad ceteras diſciplinas inflammat.

ELEGIA XXII.

TUne igitur noſtræ [nec parva eſt gratia] Muſæ
 Orphea, divinum contulerisque melos?
Meque dabis cantu lymphas retinere, feraſque,
 Et nemora e ſummis ducere poſſe jugis?
Crede mihi, nimium indulgens concedis amori;
 Imponit menti ſubdolus ille tuæ.
Non tanti mea ſunt, quæ ſcribo carmina: nec me
 Crediderim Vates inter habere locum.
Scribimus, ut releves faſtidia longa diei,
 Otia dum fallens carmina noſtra leges,
Seu propter ſalices, frigus dum quæris opacum
 Fluminis ad liquidas prætereuntis aquas;
Sive ubi te curis vacuum rus detinet, & fons,
 Et trochus, & Baccho vinea culta ſuo.
At tibi nec dextro ſuccedit Apolline carmen,
 Nec venit ad numeros Muſa vocata tuos.
Anne ideo triſtes inter mens anxia curas
 Deſpondere animum victa dolore velit?
Aſpice quam multæ ſint doctæ Palladis artes,
 Ingenio poſſint quæ placuiſſe tuo.
Tangere ſi nequeas Mantoi plectra Maronis,
 At poteris magno cum Cicerone loqui.
Sunt tibi ſermones Phœbea lege ſoluti:
 Te toga Romano Conſule digna decet.
Et quamquam Aonio careat cantuque, modoque
 Sermo, tamen numeris non caret ille ſuis:
Sed fluit illimis, priſcoque ſimillimus auro,
 Quemque vetus Latium non neget eſſe ſuum.

Macte

Macte iſta virtute ; ſtilumque ornare memento:
  Cura vigil numquam laſſa remittat opus.
Quin poteris Sophiam naturæ arcana docentem,
  Dum monſtrant tibi iter docta Stagira , ſequi.
Et rerum , qua parte licet, perdiſcere cauſſas ,
  Et mundi varias per ſtata ſigna vices.
Scilicet ut rebus non eſt color omnibus idem ,
  Sic nobis non eſt omnibus unus amor .
Hunc ſilvæ, colleſque juvant , & luſtra ferarum ,
  Hunc pelagi liquidas findere puppe vias.
Alter amat belli lituos; Martiſque tumultus,
  Alter & urbanæ pacis habere togam.
Omnia non omnes poſſunt : mortalibus hæc eſt
  Lex data: naturæ ſemina quiſque colat.

AD POSTHUMUM.

SOMNIUM.

ELEGIA XXIII.

POſthume vix tandem longo poſt tempore noſtra
  Hæc tibi mittetur littera ſcripta manu.
Nec me indigna tui cepere oblivia, nec me
  Deſtituit quondam pectore fixus amor.
An qua deſtituor , mittam tibi , Care, ſalutem?
  Anne tuos minuam , queis premor ipſe , metus?
Accipe quæ nuper , ſi me non omnia fallunt,
  Vidi Aganippeo qua ſalit unda lacu.
Collis erat, collem cingebat plurima circum
  Arbor, & arguto garrula lympha ſinu .
Fraxinus hic, nemoriſque decus viret ardua palma,
  Et caſus abies nata videre maris .
Hic etiam laurus , hic coniferæ cypariſſi,
  Et tilia, & phrygiæ pinus amica Deæ.
Quin & odorato ſurgebant arbore cedri,
  Balſamaque Eois invidioſa jugis.

Inter

Inter quas oleæ vitiato robore truncus
Auſpice neqnicquam Pallade tutus erat.
Ille quidem haud viridem frondoſo vertice pompam
Explicat; excuſſæ procubuere comæ.
Non ſecus Alpinis Borean ſi forte ruentem
Montibus, hibernos pertuleritque Notos.
Nullus honor ſtirpi, foliis laus nulla, caducis
Nulla comis, nullo vertice culta nitet.
Nempe triumphalis dudum non ultima frontis
Gloria, de Cælo nunc velut icta jacet.
Icta jacet; periit cultus, periere decores,
Quæque ſui pallor cauſſa decoris erat.
Hæccine perpetuos arbos viſura nepotes?
Hæccine pacatis nuntia læta viris?
Sed neque perpetuos heu jam viſura nepotes,
Nec jam pacatis nuntia læta viris!
Hæc ego dum luſtrans admiror, forte Thalia
Occurrit, Vati cognita Muſa ſuo.
Forma decens, vultu, medio ceu ſidera Cælo,
Lumina ſtant; roſeo germine dextra nitet.
Candida veſtis erat, crines de more ſoluti:
Fallor? an ornabant myrtea ſerta comas?
Quam ſimul aſpexi; fauſta huc ades alite, dixi,
Sit modo, ni renuis, fas mihi pauca loqui.
Annuit; ecquænam dixi, cur Palladis arbor
Una ſuo jaceat ſtipite, cauſſa ſubeſt?
Anne oleam infelix tellus hæc reſpuit, ingens
Silva ubi vernantes pandit opima comas?
Vix ea, cum dextra tangens de more coronam
Excepit verbis hæc mea verba ſuis.
Scilicet arboribus tellus non omnibus omnis
AEqua ſatis; vites hæc feret, illa pyros.
Hic ubi formoſas oſtentat fraxinus umbras,
Nulla venit myrto gloria, nullus honor.
Hinc, ubi odoratam cernes conſurgere cedrum,
Populus, & ſalices, altaque fagus abeſt.

Quæ modo ſordet humi langueſcens, vixque ſuo ſe
  Stipite, jam ſucco deficiente, tenet;
Hinc alio aſportes (campo nam gaudet aperto)
  Haud mora palladias pandet opima comas.
Dixerat: occidua properabat tingere currum
  Phœbus aqua: Pindo rettulit illa pedem.

AD BERITUM ADOLESCENTEM,

Quem ad pietatis ſtudia inflammat, & ſcrupulis vacuum eſſe jubet.

ELEGIA XXIV.

QUærebam tacitus qua te ratione vocarem,
  Quoque pede in numeros ingrederere meos.
Namque potes, Berite, gravi procedere paſſu,
  Syllaba ſi geminâ prima ſit aucta morâ:
Et potes inceſſu celeri correptius ire,
  Syllaba ſi fuerit prima, Berite, brevis.
Qua-tu-cumque nota mavis in carmine poni,
  Utraque Romanis auribus apta venit.
Sed puto, nequaquam talis te cura fatigat;
  Qualeſcumque ſinis nominis eſſe moras.
Cura prior tamen eſt, recte diſponere vitæ
  Tempora, quæ legi convenienter eant.
Quod facis, ut facias hortor, moneoque: carinam
  Sponte ſua celerem quælibet aura juvat.
Principiis inſiſte: palam virtutis alumnus,
  Propoſitique tenax fac videare palam.
Si bene floruerint primo pomaria menſe,
  Fertilis optatas hortus habebit opes.
Si bene floruerint primæ lanuginis anni,
  Proventu creſcens ubere meſſis erit.
Utere conceſſo, nutu tibi Numinis, ævo,
  Et cave pars lucro temporis ulla vacet.

Jam

Jam prece, jam ſtudio mentem virtutibus imple:
Et tua ſint omni pectora labe procul.
Quamlibet exiguo poterit bene currere vento,
Quæ fuerit minimo pondere preſſa ratis:
Nulla premant animum miſeræ contagia culpæ,
Virtutis facilem ſentiet eſſe viam.
Sed ne te vanis umquam terroribus angat
Sollicitus nimia relligione timor.
Namque ubi tranſactæ relegis veſtigia vitæ,
Heu tibi ne labes hæreat ulla, times!
Hinc animus falſæ turbatus imagine noxæ,
Ceu gravis immineat ſarcina, triſtis hebet.
Et dubius quæris, num prætermiſeris olim,
Si quid forte fuit ſubticuiſſe nefas.
Deme ſupercilio nubem, frontique ſerenum
Redde hilaris, quando eſt, quod vereare, nihil.
Me vide, nil eſt quod trepides: licet eſſe quieto:
Quæ dicenda forent, omnia dicta puta.
Sic tibi dum nullis premitur mens anxia curis,
Candida ſecura tempora pace fluent.

AD

AD AMICUM

DE SUIS PHILOSOPHIAE STUDIIS.

ELEGIA XXV.

TE juvat Aonios cantu luſtrare receſſus,
  Atque Aganippeos incoluiſſe lares.
Et modo, lauretis vernant qua culmina Pindi,
  Ludere, non humiles voce movente ſonos.
Et modo Phœbeo laſſum requieſcere in antro,
  Qua manet e ſacra pendula rupe chelys.
Jamque libet rerumque vices, bellique tumultus
  Dicere, & ingenti grandius ore loqui.
Jamque triumphales agere ad capitolia currus,
  Turcarum & vinctos, capta tropæa, Duces,
At me jamdudum Sophiæ deduxit in hortos
  Naturæ referans Pallas amica ſinus.
Hic mihi naſcentis cura eſt primordia mundi
  Diſcere, & ætherei ſidera clara poli.
Ipſe quidem haud alio vitam traducere cultu,
  Haud alio cupiam ducere more dies.

SOCIETATIS JESU

ADOLESCENTEM DOCET,

Quæ religioſi ſtudii ſit ratio in Collegii Neapolitani Ephebeo, ſeu juniorum contubernio.

ELEGIA XXVI.

PRincipio, cum mane novo expergiſceris; & lux
Jam prope ſurgendi tempus adeſſe monet;
Nola ſono clamat, conſurgite; jam vigil aſtat
Ex oculis ſomnum qui procul eſſe jubet.
Aut face ſuccenſa nocturnas diſſipat umbras;
Aut clarum admittit parva feneſtra diem.
Nulla mora, e ſtratis opera ad cæleſtia ſurge,
Nullaque, quam Domini, ſit tibi cura prior.
Mox ubi tempus erit, penſum perſolve diurnum,
Et matutinas protrahat hora preces.
Inde ſacras offert Myſtes dum munus ad aras,
Jungantur votis publica vota tuis.
Sic decet ab Jove principium ſumpſiſſe diei,
Numinis auxilium ſic meruiſſe decet.
Hoc bene: cæleſti ſua ſunt data tempora curæ;
Danda tamen ſtudiis altera cura manet.
Ante ſed admoveas libris quam mentem animumque,
Pauca precaturus tu bone flecte genu.
Et dices: Tibi cœpta, Deus (ne ſperne rogantem)
Et ſtudia, & quodvis mens mea ſacrat opus.
Forte petas, quanam ſtudiis ratione, modoque,
Utiliter cedat quo tua cura, vaces.
Expediam paucis: quæ præſcripſere Magiſtri
Sedulus exſolvas ſi data penſa, ſat eſt.
Quæ ſcribenda tibi vincto pede, quæque ſoluto,
Fac veteris referant aurea ſæcla ſtili.
Ergo frequens oculos teneat, mentemque legentis
Arbiter Auſonii Tullius ille fori.

Hic

Hic omnem eloquii laudem complectitur unus,
Quem tulit Imperio, quem ſibi Roma parem.
Cæſaris accedat laudatus candor; eadem
Qui ſua, qua ſcripſit, geſſerat arma manu.
Nec te tranſierim Ticini gloria Livi,
Nec te Veſtini gloria Criſpe ſoli.
Grandior ille, velut pleno ſons lacteus alveo;
Par data majeſtas rebus, & ingenio;
Preſſior hic, brevitate tamen florente venuſtus,
Quam bene Romanam ſtringit ab arte togam!
Quamquam o! ſed fruſtra querimur periiſſe labores
Egregios: quid non perdit avara dies?
His contentus eris: tales imitere magiſtros,
Aurea quos ætas non negat eſſe ſuos.
Si libet ad dulces animum convertere Muſas,
Aſſidua Veterum carmina volve manu.
Inſpice materiem, qua præſtet quiſque, modumque,
Temperet ut varias ille vel ille fides.
Ut ſilvas canat, & ſegetes, utque arma, virumque
Publius Aonii gloria prima Chori.
Quam bene Sarmaticis Naſo fleat exul in oris,
Qui male Romano luſerat ante ſolo.
Sæpe legendus erit culto ſermone Tibullus,
Quemque tuum jactas, Umbria, Callimachum,
Quique lyra mulcet numeroſus Horatius aures,
Pindaricos auſus non timuiſſe modos.
Quique brevi claudens arguta Epigrammata nodo
Hiſpanum latio miſcuit ingenium.
Hactenus, & ſatis eſt: alios ne tange Poetas,
Ni numeros habeat firma Camena ſuos.
Ne tibi nunc ſeſe tantum Pharſalia jactet,
Raptaque Perſephone, Thebaidoſque furor.
Obruit ingenium, jejunaque carmina reddit
Turba Poetarum multa, nocetque ſtilo.

AD TORQUATUM,

QUEM AD ELOQUENTIAE STUDIUM HORTATUR.

ELEGIA XXVII.

HAEC etiam, Torquate, venit latura ſalutem
  Littera, Pieriis non aliena modis.
Scilicet, ut tibi tam nitido ſermone loquenti
  Nonnulla poſſit reddere parte vicem;
Utque frequens a te mittatur epiſtola, priſcas
  Quæ referat Latii candidioris opes,
Nos tibi de facili venientia carmina torno,
  Inſabricata licet, mittimus illa tamen.
Nec me fama juvat, nec plauſu paſcor inani;
  Reſponſum ſatis eſt elicuiſſe tuum.
Namque ita me Superi ſervent, ut grata recurrunt
  A te Romuleis verba remiſſa notis.
Non tamen expecto dum reddas carmina; culto
  Verba latina ſtilo tu modo mitte, ſat eſt.
Quam tibi grata mea eſt vincto pede miſſa; ſoluto
  Littera reſpondens tam mihi grata tua eſt.
Ergo age, neu pigeat ſtudii perferre laborem,
  Unde ſeges meritæ plurima laudis erit.
Sedulus evolvas linguæ monumenta latinæ,
  Aurea quoſque olim ſæcla tulere viros.
Sic erit, ut veterum veſtigia tuta virorum
  Dum ſequeris, curſus inſtituiſque tuos,
Pervia Romanæ tibi ſint commercia linguæ,
  Natus Aventinis & videare jugis.
Felix, qui ſtudii potuit perferre labores,
  Et vanos illis poſthabuiſſe jocos.
Illum non curæ mordent, non jurgia tangunt,
  Non rerum inſtabiles implicuere vices.
Ille nec ingentes fuſcis ſibi quærit ab Indis
  Divitias, alio dona petita mari.

Non

Non Arabum molles luxus, non turpia vulgi
  Gaudia, nec Pario tecta ſuperba lare.
Dives opum mentis, quæſita dives ab arte
  Se fruitur, votis jam ſatis ipſe ſuis.
Quod ſi qua eſt, noſtras quæ tangat gloria mentes;
  Huic comes eſt, facili ſubſequiturque gradu!
Tu quoque macte animo, greſſumque per ardua tende;
  Ardua, ſed quamvis ardua, grata tamen.

A D J A N U A R I U M,

Quem inſtituit, quo pacto rumores iniquos extinguat; hortaturque, ut piæ precationi inſiſtat.

E L E G I A XXVIII.

O Qui nomen habes primi de nomine menſis;
  Sed nota cui Jani nulla bifrontis ineſt;
Ecquid ab admonitu nuper profecimus? ecquid
  Hæret adhuc pavido in pectore triſtitia?
Num riget obductis nigreſcens nubibus æther?
  An rediit, pulſa nube, ſerena dies?
Sed quereris jam forte tui quod damna ſodales
  Intulerint, lingua non reticente, tibi.
Attamen immerito quereris: quæcumque dolendi
  Cauſſa ſit, hæc certe eſt ex capite orta tuo.
Si bene compoſitis vixiſſes moribus; & te
  Virtutum ſemper continuiſſet amor;
Auderet nemo vel fictis lædere famam
  Vocibus: & de te fabula nulla foret.
Nunc levitas morum, frontis non eſſe ſeveræ
  Fraudi eſt, ad vanos linguaque prompta jocos.
Ipſe licet culpæ non ſis obnoxius ulli,
  At poteris falſi criminis eſſe reus.
Sæpe vel inſontes arrodit rumor iniquus;
  Semper & in pejus credula turba ſumus.
Quod ſupereſt, diſce in melius convertere mores;
  Nam ſapere eſt, proprio diſcere quemque malo.

Exemplis ne forte, velut torrentibus undis,
  Quo minime velles abripiare, cave.
Quæ mala, quæ ſanctis legum contraria juſſis
  Eſſe vides, totis viribus illa fuge.
Neu mihi creſcentem ætatem excuſaveris: iſto
  Ni ſapere incipies tempore, deſipies.
Namque bis octonos ætas tua tranſiit annos;
  Addidit & meſſes ad tria luſtra duas.
Audiſtin' vim Regna pati cæleſtia? nulli
  Cedere raptori, ni violenter agat?
Quam ſit, forte rogas, ea vis adhibenda per artem?
  AEtas quæ doceat te, puerilis erit.
Scilicet illa ſuos exoratura Parentes
  Vim blandam lacrymis, vim facit uſque prece.
Nec prius abſiſtit, quam quæ petit, auferat, & quæ
  Optarat dudum munera, læta ferat.
Sit licet auſteruſque Parens, & moribus aſper;
  Ah Pater eſt, patrius cedere coget amor!
Ergo age, ne dubita lacrymas adhibere, preceſque:
  Tu quoque vim facies; vis ea grata Deo eſt.
Hoc fieri jubet ipſe; negat ſe regna daturum
  Ulli, ni fuerit ſimplicitate Puer.
Candida ſimplicitas, & neſcia fallere vita,
  Uſque ſibi placidum ſentiet eſſe Deum.

AD

AD GRAECINUM.

CARMINIBUS SCRIBENDIS SE MINUS IDONEUM ESSE.

ELEGIA XXIX.

SAEpe meos Græcine ſoles expoſcere verſus,
Utque aliquid ſcribam carmine ſæpe rogas.
Oblitumque mones iteratis vocibus ; & me
Promiſſam quereris deſtituiſſe fidem .
Tu tamen a ſterili fructus exquiris arena
Nequicquam, & ſicco a flumine poſcis aquam .
Non ego ſum tanti , facilis cui carmen Apollo
Donet , & Aoniam Calliopea tubam.
An cithara ſperem , quæ contigit ante Maroni,
Anne Sophoclea concinuiſſe lyra?
Num tenui poſſum cantus imitarier ore
Sive tuos Naſo, ſive Tibulle tuos?
Quid loquar audaces Flacci per carmina Muſas?
Aptus enim lyricis ſum minus ipſe modis.
Atque utinam valeam Sinceri ad nablia Thyrſim
Piſcator tritis dicere arundinibus !
Seu qua læta Thetim proſpectat Olympia, ſeu qua
Sebethus placidas in mare volvit aquas .
Poſtmodo ſi Pindi liceat ſuperare cacumen ,
Caſtaliique iterum ſumere fontis aquam ;
Tunc ego Pierias agitabo ad carmina Muſas ,
Tunc nec erit noſtro vilis in ore ſonus .
Quin etiam Pindum audebo cinxiſſe Gradivo,
Prœliaque heroa perſonuiſſe tuba.
Ipſa mihi Clio laurum legat, ipſa coronam
Nectat io! Vati Calliopea ſuo.
Dicam urbes Nomadum domitas, victumque Triballum,
Et juſſum Euphratem mollius ire vadis:
Everſoſque Getas, captivaque terga, tuamque
Jam non victricem, Parthe ſuperbe, fugam.

Nam neque Romanos mens eſt evolvere faſtos,
  Fuſa neque Argolica Troica caſtra manu.
Pergama Mæonidæ ſint magnum nomen Homeri:
  Romanique duces ſint tua fama, Maro.
Quod ſi Pierides renuant ad claſſica cantus
  Edere, & armatos ære ciere viros;
Ludicra amem, floreſque inglorius; o ubi colles
  Claraque olympiaco cærula cincta ſinu!
Hic ubi marmoreis perrumpunt fontibus auras
  Litora, populeis facta ſuperba comis!

AD FAUSTINUM.

Se purgat, ſi minus prior ſcribat premente ſenio: tum eum docet, quæ caveri in convictu oporteat, ne cui ſit inviſus, vel offenſus.

ELEGIA XXX.

HOc, Fauſtine, placet? tibi me ſcripſiſſe priorem,
  Cum mihi tu nulla ſcripſeris ante nota?
Tu curas fortaſſe, catenatoſque labores
  Excuſans, ita te ſcribere poſſe negas.
At me non ſolæ impediunt hoc tempore curæ,
  Queis tamen, ut noſti, pluribus uſque premor:
Accedit paſſu tacito rugoſa ſenectus,
  Siccaque jam ſulcis inficit ora ſuis.
Lædere jam nigros cani cœpere capillos,
  Nec color eſt noſtræ, qui fuit ante, comæ.
Quartus ab undecimo jam luſtro præterit annus,
  Sextaque jam decies ducta recurrit hiems.
At tibi vernanti floret nunc ſanguis in ævo,
  Et ſunt ætatis candida fila tuæ.
Quid vultum hic ducis contracta fronte? quid altum
  Suſpirans, vitæ candida fila negas?
Candida ſunt aliis, inquis; mihi nubila currunt
  Tempora; lætitiæ janua clauſa meæ eſt.

Parce

Parce tamen, Fauſtine, queri: quam ſæpe malorum
Hærere in nobis cauſſa, caputque ſolet !
Ducere ſi libeat tranquillæ tempora vitæ,
Pacatoſque velis præteriiſſe dies;
Non opus eſt alio divertere: quod cupis, in te eſt;
Fac valeas animi frena tenere tui.
Fac nulla poſſis umquam palleſcere culpa,
Et vitium cupidi pectoris omne cave.
Noxia curarum ſapiens fomenta relinque,
Jucunda liceat quo tibi pace frui.
Virtutem ſectare, ſed hoc virtutis amore,
Umbram, non corpus, ne videare ſequi.
Qui ſola peccare timet formidine pœnæ,
Ut nihil admittat, non tamen uſque cavet.
Si ſit fallendi, ſi ſpes impune latendi,
Rurſus ad ingenium mens male ſana redit.
Sint Moderatori, ſint obſequioſa Magiſtris
Omnia: nam Domini ſuſtinuere vices.
Tum nulli coram facias convicia: nullum
Lingua Theonino ſubdola dente petat.
Nec quemquam dicto, factoque laceſſe; cruento
Dente laceſſitus quiſque dolere ſolet:
Deinde dolor juſtam paullatim exſuſcitat iram,
Quæ ſemel ac cœpta eſt, neſcit habere modum.
Si quis, ut imprudens, aliquo te læſerit actu,
Pectora vindictæ ne tua tangat amor.
Parce libens: qui ſic homines jubeatque, rogetque,
Eſt Deus; offenſas vindicet ipſe tuas.
Aſperior ſi forte animis exarſerit ardor,
Fiat ab aſpectu mollior ira Crucis.
Hujus ab obtutu qui non manſueſcat, & iras
Magnanima fortis nobilitate premat;
Illum ego crediderim ſilices geſtare ferino
Pectore, vel potius pectus habere negem.
Aſpice funeſto pendens e ſtipite Numen,
Ut pro te tulerit probra, necemque, vide.

Tu

Tune potes durus non ſuſtinuiſſe ſodalem,
Tot mala cum videas ſuſtinuiſſe Deum?
Pone ſupercilium demiſſa fronte, ſuperbos
Pone animos, ne te Numinis ira premat.
Neu percontator vanus, neu garrulus eſto:
Vive tibi (hæc vita eſt optima), vive Deo.
Hic mihi naturæ genus intractabile forſan
Objicies, culpæ ſplendida vela tuæ.
Nemo adeo ferus eſt, Venuſino teſte Poeta,
Qui non cultura mitior eſſe queat.
At non ſemper equi collo poppyſmata proſunt;
Qui nunc hippocomi, nunc domitoris eget.
Vive, vale, gaude, bene rem gere: denique ſoli
Vive tibi [vita hæc optima], vive Deo.

AD TORQUATUM,

E SOC. JESU ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΝ.

AQUILAE IN VESTINIS.

ELEGIA XXXI.

HOc bene, quod tibi quæ currenti carmina vena
Miſimus, & curſu pulverulenta ſuo,
Grata tamen, Torquate, tibi veniſſe fateris,
Atque inculta licet, conſulis illa boni.
Aſt ego, qua poſſum, ad Muſas te ducere tento
Interea, & facili ſternere ab arte viam.
Nam, mea dum reſidem te, ceſſantemque laceſſit
Muſa, laceſſitus forſitan ipſe canes.
Cur hoc deſperem? loca ſunt gratiſſima Muſis
Quæ colis, & Vatum carmina ſemper amant.
Teſtor aquas, teſtor ſalices, vallemque reductam,
Et quæ præterea Numina Aternus habet.
O quoties illis in vallibus adſonat Echo,
Argutos Vatum reddere docta modos!

Ipſi

Ipſi etiam colles, & collibus addita rura,
  Saxaque, Phœbeos jam didicere ſonos:
Immo hic, qui læva de parte objectus in Auſtrum
  Proxima deſpectat mœnia montis apex,
Lucus erat [nemore exciſo nunc Nomina reſtant]
  Lucus erat Muſis, & tibi, Phœbe, ſacer.
Huc ſolitus quondam Vates, Muſaſque ſorores
  Ducere, & aſſuetos Phœbus inire choros.
Viſaque non ipſi tellus concedere Pindo;
  Nec minus hic ſilvæ, nec minus aura placet.
Ergo, ubi jam Grajos vaſtavit milite fines
  Barbarus, & ſurdo diſcidit enſe lyras,
Ilicet, Aonioque jugo, Pimplaque relicta,
  Diſceſſere omnes ex Helicone Deæ.
Hic locus hoſpitio errantes excepit: & iſto
  Monte ſuper ſtabiles conſtituere lares.
Hæc ſtatio multos Phœbo permanſit in annos;
  Clarior inde ſua fluxit Aternus aqua.
Poſtmodo ſed collem Phœbus conceſſit Iaccho,
  (Bacchus enim Phœbo proximus eſſe ſolet).
Ipſe urbem ingreſſus vicinam; & mœnibus ultro
  Exceptus, ſedem fixit in urbe ſuam.
Ex illo ſemper doctis urbs iſta Poetis
  Floruit, egregios excoluitque viros.
Aude igitur: nam ſi numeros natura negavit,
  Provenient ipſa conditione loci.

JUVE-

JUVENEM
AEGROTANTEM IN SOSIANO

Hortatur, ut pertinacem morbum patientia frangat.

ELEGIA XXXII.

QUæ de Soſiaco tua venit Epiſtola campo,
 Exultaque tulit verba notata manu,
O utinam mihi quam ſcribit de more, ſalutis
 Illa tuæ pariter nuntia læta foret!
O quæ tunc noſtrum tentarent gaudia pectus!
 Quam fluerent pompa lucidiore dies!
O ego quas agerem Superis pro munere grates!
 Ferveret votis quælibet ara meis.
Nunc quoniam morbi vis importuna tenorem
 Servat adhuc, lenta ſævior uſque mora;
Tu bone, tu levius, quidquid patiere, ferendo
 Redde: ſuis animus ſit medicina malis.
Et quamvis ægro minuantur corpore vires,
 Mens tamen immota ſe velut arce regat.
Quæque homines credunt miſeræ infortunia vitæ,
 Hæc tu de Cælo munera miſſa puta.
Quos amat, hos Numen pœnis exercet amaris,
 Nam ſimiles Nato ſic cupit eſſe ſuo.
Fac animo ſubeat Chriſti patientis imago,
 Quæque tulit pro te vincula, flagra, Crucem.
Tunc poterunt, modo quæ ſuffers, leviora videri,
 Forſitan & cupies his graviora pati.
Gaudia fac ſubeant ævo manſura perenni
 Plurima, quæ Cæli ſervat in axe Deus.
Tunc dices: quæcumque premunt hic damna, beatum
 Efficiunt: iſto pignore, dulce pati eſt.
His animum ſtudiis ægrum relevare licebit;
 Quis ſcit, an hac etiam corpus ab arte leves?

AD

AD STEPHANUM MEGALINUM.

Reſcribendi negligentiam purgat Vates, qui & praeeſſet Tironibus informandis, & devexa ætate jam foret.

E L E G I A XXXIII.

MEne tuis olim non reſpondiſſe tabellis ?
  Oblitum officii me tacuiſſe diu ?
O qui magna ſonans, exornatumque corona
  (Hæc quoque ne deſit gloria) nomen habes.
Jure quidem de me nimium ceſſante quereris ;
  Cauſſa nec excuſans nunc mihi juſta ſubeſt.
Ipſe prior tacitas excivi carmine Muſas,
  Sopitam veluti ſuſcitat aura facem.
Nunc, ubi tam comptos, Pindoque & Apolline dextro,
  Muſa laceſſito reddidit ore ſonos ;
Ecce nihil contra refero, mutuſque reſiſto,
  Atque animus, vena deficiente, riget.
Eſſe quid hoc dices? dicas quodcumque : ſilendi
  Cauſſa modo abjectus ne videatur amor.
Quod ſi forte velis tibi me purgare, meamque
  Deſidiam miſerans conſuluiſſe boni ;
Fac ſubeant animo curarum examina, mentem
  Quæ circumvolitant, abripiuntque meam :
Fac ſubeant juvenes, nulla non parte diei
  Rumpentes nugis otia noſtra ſuis.
Nec licet inſtantes aditu prohibere ; nec illis
  Tempore cuique ſuo præſtituiſſe modum.
Eſt mihi profectus, Divina eſt gloria tanti,
  Otia ne his nugis anteferenda putem.
Sed quid ego Aonias revoco? quid plectra retento?
  Et repeto tremula fila, lyraſque manu ?
Non facit ad canos Parnaſſi laurea crines;
  Seſſorem renuit Pegaſus ipſe ſenem.

Hic

Hic juvenum labor eſt: alienos occupat annos,
Si levis effœto in pectore ſurgit amor.
Hei mihi! præteriit jam ſexageſima meſſis,
Cui properans ætas addit Olympiadem.
Ne mirere tamen; currenti lampada trado:
Tu cape; nos humili ſede ſedere juvet.

RELIGIOSUM JUVENEM

AD INDICAM EXPEDITIONEM INFLAMMAT.

ELEGIA XXXIV.

QUæ tua mens igitur? quid me tua Muſa laceſſit,
Reddat ut alternos noſtra Thalia ſonos?
At nos, errantes digiti dum plectra retractant,
Inſenſas nulla rumpimus arte fides.
Sed bene, quod tenui quamquam modulamur avena,
Ebibis averſa non tamen aure modos.
Ne tamen hinc verſus alios, alioſque requiras,
Ceu vena nunquam deficiente fluant.
Scis me jamdudum Pindo ceſſiſſe, relictis
Aonidum ſilvis, Aonidumque choris.
Illaque, ſi qua fuit quondam vis enthea, pectus
Deſeruit: quid non tollit avara dies?
Sed quid ego hæc autem? tamquam ſint carmina tanti:
Ah potius libeat, quæ meliora, ſequi.
Ipſe tamen ſequeris; nec me monitore, nec ullo
Qui lateri admoveat nobile calcar, eges.
Forſitan & nunc iſta legens meditaris Eoi
Litoris optatam per freta longa viam.
Nam neque conceptum cæleſti munere votum,
Nec, puto, conſenuit, qui fuit ante, calor.
Si bene te novi, tuaque eſt mihi cognita virtus,
Quæ ſemel injecta eſt mens bona, durat adhuc.
Jamque peregrinas, alioque a ſole calentes
Impavidus verſas mente, animoque plagas;

Seu

Seu quas exoriens primo Sol luſtrat Eoo,
  Seu quas Occiduo dum lavat amne rotas
Dumque reos voti ſocios diſcedere ſpectas,
  Et patrium faciles deſeruiſſe ſolum;
Forſitan ætatem increpitas, annoſque morantes,
  Et quereris lentis curſibus ire dies.
Ite bonis avibus, Cælum vocat, ite ſecundo
  Numine, quo dudum vota, Deuſque jubent.
Felices animæ, natæque ad grandia mentes,
  Vos ego, ſi nequeam corpore, mente ſequar.
Quamquam o: ſed non eſt eadem ſors omnibus apta,
  Non eadem cunctis nempe terenda via eſt.
Nos patrias ergo lenti luſtrabimus Urbes,
  Vicinoſque leget cymbula noſtra ſinus;
Vos procul externas animis majoribus oras
  Quæritis, ignoti barbara regna ſoli.

A D B A T T U M

MANDATA SUSCIPIT: SOLATUR: MONET.

E L E G I A XXXV.

Batte, tuis quando fallis noſtra otia muſis,
  Jungis & argutæ carmina noſtrâ lyræ;
Quid, rogo, te pudeat? non eſt res digna pudore
  Tam bona, tam cultis nectere verba modis.
Neve metum incutiat, neu triſtis cura retardet,
  Quæ vigil uſque meas excubat ante fores.
Illa peregrinos noſtris a ſedibus arcet,
  Et vetat incomptos limen adire jocos;
Non tamen ingenuos, nec quos videt eſſe modeſtos,
  Et quos præterea pondus habere videt.
Ergo age, ne dubita: nam quæ tua littera mandat,
  Exequar: hic partes expediamque meas.
Quique rogas, pro quoque rogas, mihi carus uterque,
  Officii cura dignus uterque mei.

Hei

Hei mihi, ſed quidnam tua triſtis epiſtola narrat?
Et quereris pectus nocte, dieque premi?
Eſſe quid hoc dicam? nam quæ ſit tanta dolendi
Cauſſa, mali tanti quæ ſit origo, latet.
Aurea ſunt aliis ergo, tibi ferrea currunt
Sæcula, funeſta ſemper acerba nota?
Scilicet aut dictis paſſim vexatus amaris,
Aut factis, vitæ tempora mœſtus agis.
Dumque fremunt venti dextra, lævaque furentes,
Uſque per adverſas cogeris ire vices.
Hæc igitur tua ſors: hoc, te narrante, malorum
Quæ vitam exagitent, diſcimus eſſe caput.
Aſt ego quæ contra referam ſolatia? vel quæ
Eſſe malis poſſit, Batte, medela tuis?
Principio, quæcumque venit fortuna, ferenda eſt:
Fit levius, quidquid tu patienter agas.
Naſcimur ad lacrymas homines, genus ærumnoſum:
Dura licet, cunctis iſta terenda via eſt.
At cave, ne tua te ratio, & mens, Optime, fallat,
Et male ſubductis decipiat numeris.
Sæpe aliquis queritur de vulnere, qui ſibi demens
Ipſe ſua vulnus fecerat ante manu.
Quod pateris, quod multa doles [ſi vera fateri
Nunc licet, & fas eſt] plurima culpa tua eſt.
Tu mores compone, bonorum exempla ſecutus,
Exemplumque præi moribus ipſe tuis.
Sit nihil in verbis, nihil umquam in rebus ineptum,
Et vitium ſtulti pectoris omne cave.
Hoc age, quod ratio, quod mens bona dictat agendum:
Nec vitæ officio pars vacet ulla tuæ.
Quod-te-cumque jubet prudens Moderator, obito:
Quo vocat ille, veni; quod vetat ille, cave.
Quod-te-cumque monet notis Eutaxia (a) ſignis,
Non interpoſita juſſa capeſſe mora.
Ilicet huc adſis; & quæ te devocat, illam,
Quæcumque eſt, vocem noveris eſſe Dei.

Nunnia-

[a] *Hic intellige Obedientiæ quam dicunt Virtutem.*

Nunniades olim ſociæ Gabaonis ad Urbem
  Dum premit injecto barbara caſtra metu;
Ne cladem effugerent hoſtes, jam nocte propinqua,
  Palmaque victorem, deficeretque dies;
Phœbum ſtare jubet: medio ſtetit æthere Phœbus:
  Stare jubet Lunam, juſſaque Luna ſtetit.
Scilicet hic ſolitus Moſi parere jubenti,
  Subdidit imperiis aſtra vel ipſa ſuis.
Hæc modo ſi peragas recti ſervator, & æqui,
  His tu ſi vitam moribus inſtituas;
Nullus erit, tibi qui noceat nil tale merenti,
  Qui tua conturbet commoda, nullus erit.

AD THELESINUM.

SENILEM AETATEM MINUS APTAM ESSE CARMINIBUS.

E L E G I A XXXVI.

Quid tibi vis, Theleſine, mihi dum carmina mittis,
  Aurea quæ merito ſæcla decere queant?
Quid tibi vis? noſtræ num plectra laceſſere muſæ,
  Audeat, & ſimiles reddat ut illa modos?
Falleris ah! mihi crede; diu neglecta ſub umbra
  Ignavo torpent nablia noſtra ſitu.
Dum flueret melior circum præcordia ſanguis,
  Primaque vernaret flore juventa ſuo;
Nonnullum Vates inter nomenque, decuſque
  Geſſimus, Aonio non renuente choro.
Ad mea tunc faciles properabant vota Camenæ,
  Nectebantque meis laurea ſerta comis.
Sed fuimus (quid enim pudeat nunc vera fateri?)
  Nulla ſuper plectri gloria, nulla lyræ.
Ille ſacer Phœbi ceſſit furor: illaque, ſi qua eſt,
  Enthea vis animi, Pieriuſque vigor.
Quod ſi plectra velim rurſus tractare, volentem
  Deſtituunt citharæ, deſtituuntque modi.

Hos etiam invito modulamur Apolline verſus,
  Quos legis, & claudo vix pede Muſa venit.
Seu facit hoc ætas; non omnis verſibus ætas
  Apta, nec eſt omnis luſibus apta dies:
Seu faciunt curæ; gravibus mens anxia curis
  Reſpuit arguti carmina plena joci.
Jam mihi ſat luſum eſt: alienos occupat annos,
  Si ſtudium hoc noſtro pectore vivat adhuc.
Tu Phœbum, Theleſine, ſequi, Muſaſque ſorores,
  Scandere Parnaſſi tu juga celſa potes.
Te tractare decet juvenili pollice plectra,
  Plectra ſeneſcenti non repetenda manu.
Ergo age, dum vocat Aonio de vertice Phœbus,
  Invitatque hilari turba novena ſono;
Perge animum ſtudiis doctæ coluiſſe Minervæ,
  Sertaque temporibus promeruiſſe tuis.
Sic erit, ut magnos inter numerere Poetas,
  Et tua non humili carmine fama volet.

AD

A D B A L B U M

SENECTUTEM EXCUSAT, QUO MINUS SCRIBAT CARMINA.

E L E G I A XXXVII.

LUdis? an ex vero tua me nunc Muſa laceſſit,
  Balbe, ſacro Vatum non-renuende choro?
Lude: placent veſtri noſtra inter ſeria luſus,
  Lucida ceu triſti ſidera nocte placent.
Ne tamen expectes, parili dum munere poſsit
  Muſa laceſsitos reddere noſtra modos.
Aſpice quam multæ circumſtent undique curæ;
  An levibus ſtudiis otia pauca teram?
Aſpice & ætatem: flores ego ſecter amœnos,
  Dum fera jam cano vertice ningit hiems?
Præteritos memini dubiæ lanuginis annos,
  Dum viguit ſtudiis prima juventa ſuis.
Tunc non invita citharas tractare Minerva,
  Et bibere Aonias poſſe videbar aquas.
Si minus heroo componere verba cothurno,
  Nec licuit clara perſonuiſſe tuba;
At leve non piguit modulari carmen avena,
  Tityre ſive tua, ſeu Melibœe tua.
Nunc me Pieriis iterum indulgere choreis,
  Nunc pudet ad numeros flectere verba ſenem.
Quin etiam ſi forte lyram, ſi forte retractem,
  Deficiat ſubito languida facta manus.
Scilicet ut rebus non omnis idonea tellus
  Omnibus, aut omnes una miniſtrat opes;
Sic etiam ſtudiis eadem non omnibus ætas
  Apta: ſuæ variant hac quoque parte vices.

AD JACOBUM ROSSI E SOC. JESU,

DUM IS IN LUSITANIA GOANAM EXPEDITIONEM PRAESTOLARETUR.

ELEGIA XXXVIII.

Latine ſcribo, ne ſi quid aliis iſthic velis communicatum, Luſitanica translatione ſit opus. Primum igitur ſcito, me litteras accepiſſe abs te datas ex A. D. VII. *Kal. Octobr. cum mandatis, ut quas in faſciculum conjeceras, reddi curarem; quod ſtatim ſum exequutus: adhuc enim Neapoli degit P. N., quamprimum tamen profecturus, atque, ut audio, minime ſolus; adjungetur enim fortaſſe P. N. qui expeditionem Indicam & ipſe oravit, atque exoravit, jamque a P. N. Generali evocatus, eſt in procinctu. Bonum ſit: augeſcit numerus. Atque utinam abunde hic eſſet Operariorum, maxime juvenum! Profecto non pauci venirent, multi enim percupiunt: retinentur tamen a Majoribus vetiti, ne forte Provincia detrimenti aliquid capiat, ſi multis privetur. Tui certe diſcipuli te ſequi maximo vellent opere. Verum quid illis facias, qui pulli ſunt adhuc implumes? Quod ais, te iſthic eſſe carum omnibus, & lætor, & gaudeo:*

AT cave, ne te Luſiadûm, licet optima, tellus
  Occupet illecebris officioſa ſuis.
Nec tibi laudatis tanti ſit gloria Muſis,
  Nec tanti, facili plectra ciere manu,
Ut bene currentem te nunc Europa moretur,
  Et cœptum pæne in limine ſiſtat iter.
Novimus & quanta ſtet clara Conimbrica fama,
  Illaque, quæ fertur nobile Ulyſsis opus.
Iſta Tago, populiſque, opibuſque, aulaque ſuperbit,
  Illa ſed omnigenæ Palladis arte viget.

Alte-

Altera te ſtudiis, & pulchræ laudis amore,
Altera deliciis detinuiſſe poteſt.
Hæc alios moveant, vano quos paſcit honore
Gloria, & huc illuc mobilis aura rapit.
India te, te mœſta vocat Narſinga, ſibique
Pollicitam dudum jure repoſcit opem.
Hei mihi quam cæcis premitur Gens illa tenebris!
Heu quanta vitiorum obruta mole jacet!
Prima licet videant orientis lumina ſolis,
Illa tamen vera litora luce carent.
Et quamquam immenſa pelagi pulſentur ab unda,
Luſtralis tamen heu! guttula deſit aquæ.
Illis te Cælum promiſit Gentibus: illo
Læta tibi ſurgit plurima meſsis agro.
Tune igitur dubites Cælo parere vocanti,
Area dum meritis panditur ampla tuis?
Tu, ſtyge devicta, palmis ornandus Eois,
Mollibus in ſtudiis otia lenta teres?
Crede mihi, plus eſt animos tranſcribere Olympo,
Carmina quam culto ſcribere docta ſtilo.
O ego, ſi Superi annuerent, ſi firmior eſſet
AEtas, quæ ſenio proxima ſtare jubet;
Quam cupide ſocium tibi me conjungere vellem,
Sortis & in partem ſponte venire tuæ.
Nec me longa viæ, aut pelagi faſtidia; nec me
Terreret ſtricto barbarus enſe furor.
Sed quid ego hæc autem? patria ſubſiſtere terra
Cogor, & heu vitam deſidioſus ago!
Vos, quibus ire datum fatis melioribus, ite,
Ite, tamen memores tempus in omne mei.

DOMI-

DOMINICO SPINELLO
ADOLESCENTI E SOC. JESU

εὐχαίρειν, καὶ εὐπράττειν.

Intermiſſo litterarum officio, ſe excuſat; & pietatem erga Infantem JESUM *commendat.*

. *ELEGIA XXXIX.*

QUam dudum, Spinelle, tuæ miſere Camenæ
  Grata mihi venit littera, grata ſalus.
Illa etenim Aonia quantum profeceris arte;
  Hæc, tua quam ſit mens officioſa, docet.
At non de nihilo pulchris, & Apolline dignis
  Floribus ornatum mittis epiſtolium.
Scilicet ut miſſum redeat cum ſenore carmen,
  Reſponſetque ſuis noſtra Thalia modis.
Hei mihi! difficile eſt placidam nanciſcier horam,
  Qua liceat, Vatum more, quiete frui.
Scis bene, quam multis interturbantibus angar,
  Ut juris non ſint otia noſtra ſui.
Adde genus vitæ, quod nos a Palladis arte
  Sevocat, & memores non ſinit eſſe lyræ.
Non ignota tibi mea ſunt incommoda; nec te
  A Muſis quam ſit vita aliena, latet.
Quare nec mea Pieriam ſitis expetit undam,
  Nec libet Aonii ſcandere terga jugi.
Sacra Palæſtinæ potius properemus ad antra,
  Antra recens nato facta beata Deo.
Audis? Angelici ſacra ad præſepia cantus
  Invitant, reſides increpitantque moras.
Hic certe, quodcumque ferunt mendacia Vatum,
  Nobilius multo Bethlemis ora dabit.
Si quis enim noſtras veniet vagitus ad aures,
  Quam poterit dulces ille docere modos!

Et quæ divinis lacrymæ funduntur ocellis,
Illæ, crede mihi, vena perennis erunt.
At quoniam Cæli Rex eſt, qui naſcitur Infans;
Muneribus vacuas turpe ſit eſſe manus.
Sed neque divitiæ poſſunt, gemmæque placere,
Nec quæ præterea commoda luxus amat.
Non eget his, qui cuncta regit, qui condidit orbem,
Qui bona mortales ſpernere fluxa docet.
Labe carens pectus labis Puer inſcius optat,
Et puras hominis purior ipſe manus.
Aſpicis, ut nullo voluit cunabula faſtu,
Diaque ſub tecto paupere membra locat?
Interdum reſidet magnæ Genitricis in ulnis,
Et levis, & Matri ſarcina cara ſuæ:
Interdumque torum præbet præſepe jacenti,
Fulcit & exigui ſtraminis herba Deum.
Hei mihi! ne teneros exurat bruma lacertos,
Aſpera neu molles lædat ariſta genas.
Parce meo Puero ſeu quæ nocte ingruis aura,
Seu quæ ſub gelidum mane pruina riges.
At tu ſæve Aquilo gelidas procul abjice pennas,
Hinc procul arctoas abjice ſæve minas.
Quid loquor ah? Non hæc Infans incommoda curat,
Qui mala noſtra ſuo in corpore ſponte ſubit.
Perfert, ſeu duro componit membra cubili,
Perfert, ſeu nimio frigore ſævit hiems.
Ille mei ſentit potius nunc frigora cordis,
Duritiem ſentit pectoris ille mei.
Hoc dolet: hinc illæ lacrymæ, quas cernimus ultro
Perque genas paſsim currere, perque ſinus.
Me miſerum! nam cur tanti ſum cauſſa doloris?
Cur mea ſunt rigido pectora vincta gelu?

FINIS LIBRI TERTII.

Digitized by Google